minum. Eo collineant generalia duo illa Præcepta, *Non concupiſces*, & *Diliges*, ut *S. Aug.* docet Lib. *De Perfectione Juſtitiæ*, c. 4. *Generalis prohibitio eſt*, Non concupiſces; *& generalis juſſio*, Diliges. *Unde breviter & Apoſtolus Paulus quodam loco utrumque complexus eſt. Prohibitio enim eſt*, Nolite conformari huic ſæculo: *Juſſio autem*, Sed reformamini in novitate mentis veſtræ. *Illud pertinet ad non concupiſcere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad juſtitiam; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiſcendo enim vetuſtate expoliamur, & novitate induimur diligendo.* Qua novitate induti, ſanctis deſideriis exercemur. *Hæc eſt enim vita noſtra, ut deſiderando exerceamur. Tantum autem nos exercet ſanctum deſiderium, quantum deſideria noſtra amputaverimus ab amore ſæculi*; inquit, *S. Aug.* Tr. 4. in Epiſt. S. Joannis.) Aliquando exinaniri oportet, quod implendum eſt. *Bono implendus es, unde malum.* In hoc laborare ſine intermiſſione debemus, donec Deus nos perducat ad illum finem, qui ſufficiat nobis, ubi ſatietur in bonis deſiderium noſtrum. *Tunc enim aliquid deſiderio non deerit, quando omnia in omnibus Deus erit. Talis finis non habet finem. Nemo ibi moritur, quo nemo pervenit, niſi huic ſæculo moriatur, non morte omnium, qua corpus ab anima deſeritur, ſed morte electorum, qua etiam cum in carne mortali adhuc manetur, cor ſurſum ponitur. De quali morte dicebat Apoſtolus*, Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. *Hinc fortaſſe dictum eſt*, Valida eſt ſicut mors dilectio. *Hac enim dilectione fit, ut in iſto adhuc corruptibili corpore conſtituti, moriamur huic ſæculo, & vita noſtra abſcondatur cum Chriſto in Deo; immo ipſa dilectio eſt mors noſtra ſæculo, & vita cum Deo. Si enim mors eſt, quando de corpore anima exit, quomodo non eſt mors, quando de Mundo amor noſter exit? Valida eſt ergo, ut mors dilectio. Quid ea validius, qua vincitur Mundus.*

Exod. 29. Deut. 6. Rom. 12. Coloſſ. 3. Cant. 1.

„ Deus univerſitatis conditor, infinita bonitas, vera & „ ſumma vita, a quo averti, cadere; in quem converti, „ reſurgere: in quo manere, conſiſtere eſt. Deus quem „ nemo amittit, niſi deceptus; quem nemo quærit, niſi „ admonitus; quem nemo invenit, niſi purgatus. Deus, „ quem relinquere, hoc eſt, quod perire: quem attendere, hoc eſt, quod amare: quem videre, hoc eſt, quod „ habere. Deus, cui nos fides excitat, ſpes erigit, caritas „ jungit. Jam te ſolum amo, te ſolum ſequor, te ſolum „ quæro, tibi ſoli ſervire paratus ſum; quia tu ſolus juſte „ dominaris, tui juris eſſe cupio. Domine, da, quod jubes, & jube, quod vis. Ad te mihi redeundum eſſe ſentio: patet mihi pulſanti janua tua; quomodo ad te perveniatur; doce me. Nihil aliud habeo, quam voluntatem: nihil aliud ſcio, niſi fluxa, & caduca ſpernenda eſſe, certa, & æterna requirenda. Unde ad te perveniatur, tu mihi ſuggere, tu oſtende, tu viaticum præbe. „ Auge in me fidem, auge ſpem, auge caritatem. Fac „ me, Pater, quærere te, vindica me ab errore, quærenti „ te nihil aliud pro te occurrat. Si nihil aliud deſidero, „ quam te, inveniam te jam, quæſo, Pater. Si autem eſt „ in me ſuperflui alicujus appetitio, tu ipſe in me munda, & fac idoneum ad videndum te. Amen.

FINIS LIBRI QUARTI.

THEO-

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ, ET MORALIS SECUNDUM ORDINEM CATECHISMI Concilii Tridentini.

LIBER QUINTUS.

DE ORATIONE.

CAtechiſmi Concilii Tridentini ordinem ſecuti, poſtremum Theologiæ noſtræ Librum Dominicæ Orationis explicationi dicamus, quam Theologiæ totius compendium non immerito dixerim. Vera namque Theologia, Evangelium eſt: Oratio vero Dominica totius Evangelii Breviarium. *Neque enim* (inquit Tertullianus) *propria tantum Orationis Officia complexa eſt, venerationem Dei, aut hominis petitionem; ſed omnem pœne ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, ut revera in Oratione Breviarium totius Evangelii comprehendatur.... Compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edita Prophetarum, Evangeliorum, Apoſtolorum, ſermones Domini, parabolæ, præcepta: quot ſimul expunguntur officia: Dei honor in Patre, fidei teſtimonium in nomine, oblatio obſequii in voluntate, commemoratio ſpei in Regno, petitio veniæ in pane, exomologeſis debitorum in deprecatione, ſollicitudo temporalium in poſtulatione tutelæ.* Verum prius quam Dominicæ Orationis explicationem aggrediamur; pauca de Oratione in genere prælibanda ſunt.

CAPUT PRIMUM.

De Oratione in Genere.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex ſit Oratio.

Quid ſit Oratio. ORatio definitur a *S. Joanne Damaſceno*, Lib. 3. *De Fide* c. 24. *Petitio decentium a Deo*: Sive *Mentis ad Deum aſcenſus*. Conſonæ ſunt definitiones iſtæ notioni Orationis a *S. Baſilio* traditæ, Homilia in Martyrem Julittam: *Oratio*, inquit, *eſt boni cujuſpiam petitio, quæ ad Deum a Piis effunditur*. Et a *S. Auguſtino*, ſive alio Auctore Sermonis 73. in Appendice, alias inter Auguſtinianas *De Tempore* 230. *Quid eſt oratio, niſi aſcenſio animæ de terreſtribus ad cœleſtia, inquiſitio ſupernorum, inviſibilium deſiderium? Oratio eſt conjunctio Spiritui Sancto.* Ex *S. Auguſtino* Enarratione in Pſal. 73. definiri poteſt, *Cordis deſiderium & gemitus ad Deum directus.* Unde Propheta ait: *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus.* Si deſiderium tuum ante illum, & Pater, qui videt in occulto, reddet tibi. *Ipſum enim deſiderium tuum oratio tua eſt:* ſed deſiderium rerum æternarum, vel ad ſalutem æternam conducentium. Ab eodem Patre definitur Oratio: *Locutio ad Deum.*

Pſ. 37. S. Aug. Er. in Pſ. 37. & 85.

Quotuplex Oratio. II. Duplex eſt Oratio, interior una, ſive *Mentalis*, exterior altera, ſeu *Vocalis*. Ad Mentalem pertinet illud Pſ. 26. *Tibi dixit cor meum, Exquiſivit te facies mea*, Pſal. 18. *Et meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.* Pſ. 38. *Et in meditatione mea exardeſcet ignis.* Et 1. Reg. c. 1. *Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.* Hæc neque in ſuſpenſione omnis actus, neque in ſola receptione, aut ſtatu quodam paſſivo, neque in ſpeculatione ſola, nec in ſolo amore, ſed in actibus intellectus, & voluntatis ad Dei cultum, & honorem relatis, Meditatione ſcilicet, ſive conſideratione rerum divinarum & nihil noſtri, atque indigentiæ, & Dei amore, rerumque æternarum deſiderio, aliiſque piis affectibus poſita eſt. Supremus illius orationis gradus eſt contemplatio, qua Anima ſupra terrena phantaſmata evecta, abſque inquiſitione rationis, & vago variorum diſcurſu, Deum, reſque divinas libere conſiderat, in eiſque defixa penitus mentis acie, caſto, ardentique amore Deo conjungitur, ipſum complectitur, in eoque unice delectatur. Definitur a *S. Aug.* Lib. 12. *Contra Fauſtum*, c. 42. *Sancta quædam ebrietas alienata mentis ab infra labentibus temporalibus æternam lucem Sapientiæ contuentis.* Ad hunc orationis gradum non perveniunt niſi purgatæ animæ, quæ diuturna Pœnitentia, & mortificatione perturbationes, & pravas cupiditates naturæ corruptæ ſubegerunt, propriæque voluntatis ſtudiis, & affectibus ſeſe exuerunt. Ad illum autem ſenſim per varios divinarum illuſtrationum gradus perducuntur. Vulgaris itaque divinorum Mandatorum obſervantia non ſufficit, ut quis ad ſummum illum orationis gradum perveniat, ſed variis laboribus, inſigniumque virtutum operibus, in quibus Evangelicas Beatitudines Chriſtus conſtituit, exercitatum eſſe neceſſe eſt. *Liæ*, & *Rachelis* duarum Jacob uxorum typo ſignificatum, *S. Aug.* explicat Lib. 22. *Contra Fauſtum*, c. 52. Liam interpretatur *Laborantem*, Rachelem vero *Viſum principium*, ſive *Verbum, ex quo videtur principium.* „ Actio ergo humanæ, mortaliſque vitæ, in qua vivimus „ ex fide, multa laborioſa opera facientes, incerti quo „ exitu provenient ad utilitatem eorum, quibus conſulere „ volumus, ipſa eſt *Lia* prior uxor Jacob: ac per hoc & „ infirmis oculis fuiſſe commemoratur. *Cogitationes enim* „ *mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* Spes „ vero æternæ contemplationis Dei, habens certam, & delectabilem intelligentiam veritatis, ipſa eſt *Rachel*; unde etiam dicitur pulchra ſpecie. Hanc enim amat omnis „ pie ſtudioſus, & propter hanc ſervit gratiæ Dei, qua „ peccata noſtra etſi fuerint ſicut coccinum, tanquam „ nix dealbabuntur. *Laban* quippe interpretatur *Dealbationem*, cui ſervivit Jacob propter Rachel. Neque enim „ ſe quiſquam convertit ſub gratia remiſſionis peccatorum „ ſervire juſtitiæ, niſi ut quiete vivat in Verbo, ex quo „ videtur principium, quod eſt Deus: ergo propter Rachel, non propter Liam. Nam quis tandem amaverit in „ operibus juſtitiæ laborem actionum, atque paſſionum? „ Quis eam vitam propter ſe ipſam expetiverit? Sicut „ nec Jacob Liam, ſed tamen ſibi nocte ſuppoſitam in „ uſum generandi, amplexus, & fœcunditatem ejus expertus eſt: Dominus enim eam, quia per ſe ipſam diligi „ non poterat, primo ut ad Rachel perveniretur, tolerari „ fecit, deinde propter filios commendavit. Ita vero unuſquiſque utilis Dei ſervus, ſub dealbationis peccatorum „ ſuorum gratia conſtitutus, quid aliud in ſua converſione meditatus eſt, quid aliud corde geſtavit, quid aliud „ adamavit, niſi doctrinam Sapientiæ? Quam plerique ſe „ adepturos, & percepturos putant, ſtatim ut ſe in ſeptem Præceptis Legis exercuerint, quæ ſunt de dilectione proximi, ideſt, *Honora patrem, & matrem, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces uxorem proximi, Non concupiſces rem proximi*; quibus, quantum potuerit, obſervatis, poſtea quam homini pro concupita, & ſperata „ pulcherrima delectatione doctrinæ, per tentationes varias, quaſi per hujus ſæculi noctem, tolerantia laboris „ adhæſerit, velut pro Rachel Lia inopinata conjuncta ſit, „ & hanc ſuſtinet, ut ad illam perveniat, ſi perſeveranter „ amet, acceptis aliis ſeptem Præceptis: ac ſi dicatur ei, „ Servi alios ſeptem annos pro Rachel, ut ſit pauper ſpiritu, mitis, lugens, eſuriens, ſitienſque juſtitiam, miſericors, mundicors, pacificus. Vellet homo, ſi fieri poſſet, ſine ulla tolerantia laboris, quæ in agendo, patiendoque amplectenda eſt, ſtatim ad pulchræ, atque perfectæ Sapientiæ delicias pervenire: ſed non poteſt in terra morientium. Hoc enim videtur ſignificare, quod dictum eſt Jacob: *Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, ut minores ante tradamus ad Nuptias.* Quia non abſurde „ major appellatur, quæ tempore prior eſt. Prior eſt autem in recta hominis eruditione labor operandi, quæ juſta ſunt, quam voluptas intelligendi, quæ vera ſunt.

Geneſ. Sap. 9. Gen. 29.

Contemplatio, ſupremus illius orationis gradus. Ad hunc orationis gradum non ſubito, ſed ſenſim per varios gradus pervenitur.

Ad ſummum illum orationis gradum, non ſcientia, ſed fide, caritate, & humilitate pervenitur, atque cognitione infirmitatis ſuæ, de qua *S. Aug.* Lib. 4. *De Trinit.* c. 1. ſcribit: *Scientiam terreſtrium, cœleſtiumque rerum magni æſtimare ſolet genus humanum: in quo profecto meliores ſunt, qui huic ſcientiæ proponunt noſſe ſemetipſos; laudabiliorque eſt Animus, cui nota eſt vel infirmitas ſua, quam, qui ea non reſpecta, vias ſiderum ſcrutatur etiam cogniturus: aut, qui jam cognitas tenet, ignorans ipſe, qua ingrediatur ad ſalutem, ac firmitatem ſuam. Qui vero jam evigilavit in Deum, Spiritus Sancti calore excitatus, atque in ejus amore coram ſe viluit; ad eumque intrare volens, nec valens, eoque ſibi lucente attendit in ſe, invenitque ſe, ſuamque ægritudinem illius munditiæ contemperari non poſſe cognovit, flere dulce habet, eumque deprecari, ut etiam, atque etiam miſereatur, donec exuat totam miſeriam, & precari cum fiducia, jam accepto gratuito pignore ſalutis, per ejus unicum Salvatorem hominis, & Illuminatorem,*

Ad ſummum illum orationis gradum fide, caritate, & humilitate pervenitur.

rem,

rem: hunc ita agentem, & dolentem ſcientia non inflat, quia caritas ædificat: præpoſuit enim ſcientiam ſcientiæ, præpoſuit ſcire infirmitatem ſuam, magis quam ſcire Mundi mœnia, fundamenta terrarum, & faſtigia cœlorum: & hanc apponendo ſcientiam, appoſuit dolorem; dolorem peregrinationi ſuæ ex deſiderio Patriæ ſuæ, & Conditoris ejus beati Dei ſui.

Qui ad contemplationis apicem pervenerunt, virtutes majori ſtudio ac fervore exercere debent.

Qui autem ad illum Contemplationis apicem pervenerunt, tantum abeſt, ut a virtutum Chriſtianarum actibus ceſſare debeant, ut potius eam majori ſtudio, ac fervore debeant exercere. *Cum perventum fuerit, ſimul habebitur in hoc ſæculo, non ſolum ſpecioſa intelligentia, ſed etiam laborioſa juſtitia. Quamlibet enim acute ſinceriterque cernatur a mortalibus incommutabile bonum, adhuc corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Ad unum ergo tendendum; ſed propter hoc multa ferenda ſunt*, (inquit *S. Aug.* Lib. 22. *Contra Fauſtum*, c. 4.)

Nec in ipſo S. Contemplationis otio ab omni actu ſuſpenſa eſt anima.

Sed nec in ipſo ſanctæ Contemplationis otio ab omni actione ſuſpenſa eſt Anima; cum abſque cognitione, & amore Dei contemplatio illa: quæ futuræ beatitatis pignus, & prægustatio eſt, omnino eſſe non poſſit, nec abſque religionis, adorationis, atque humilitatis actibus frequentiſſimis valeat ſubſiſtere. Qui ad hunc orationis gradum donante, & illuminante Deo pervenerunt, requieſcunt non ſolum ab operibus malis, ſeu a cogitationibus ſupervacuis, verum ab actibus fidei, ſpei, caritatis, humilitatis non quieſcunt, quibus Anima in Deo, & viciſſim in anima Deus quieſcit. Sic in illis impletur Propheticum illud: *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus...* Et, *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Ceterum, quod repetere non piget, illuc pervenitur *Potius intima compunctione, quam profunda inveſtigatione, ſuſpiriis, quam argumentis, crebris lamentationibus; quam copioſis argumentationibus, lacrymis, quam ſententiis, oratione, quam lectione, gratia lacrymarum, quam ſcientia litterarum*, (inquit Auctor Libri *De Interiori Domo*, inter Opera *S. Bernardi* editi.) Hæc principia opponere lubuit occaſione data, damnatis Quietiſtarum principiis.

Vocalis oratio.

3. Vocalis orationis exempla frequentia ſunt in ſcripturis, ad illamque pertinet illud Apoſtoli: *Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, ideſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Quod Oſee Prophetæ Sententiam exprimit: *Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Dominum: & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Sed & Chriſtus nos verbis docuit orare: non quod verba neceſſaria ſint, ut indigentiam noſtram Deo aperiamus, qui novit omnia, antequam fiant, & novit, quid nobis ſit neceſſarium, antequam petamus ab eo: ſed ut verbis velut ſignis ad recordationem rerum, quas ſignificant, ad eaſque poſtulandas a Deo, excitemur. Non verbis igitur agere debemus apud Deum, ut impetremus, quod volumus, *Sed rebus, quas animo gerimus, & intentione cogitationis, cum dilectione pura, & ſimplici affectu:* ſed res ipſas verbis nos docuit Dominus noſter, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordemur (inquit *S. Auguſt.*)

Hebr. 13. Oſeæ 14.

4. Duplex rurſus oratio eſt: communis, ſive publica, & ſingularis, ſive privata. Prima eſt, quæ per Miniſtros Eccleſiæ in perſona totius populi fidelis Deo offertur. Altera eſt, quæ ab aliquo privato offertur, ſive pro ſe, ſive pro aliis orante. Ad publicam orationem ſpectat, quod *Tertullian.* ſcribit, *Apologetici* c. 39. *Coimus ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata eſt.*

Ratio triplex, ob quam voce profertur oratio.

5. Oratio communis, & publica vocalis eſſe debet. Cum enim totius populi fidelis nomine Deo offeratur, Chriſtianæ Plebi, pro qua offertur, neceſſe eſt, ut innoteſcat. Quamobrem inſtitutum eſt, ut Eccleſiæ Miniſtri publicas orationes alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium pervenire poſſint; privatas autem orationes vocales eſſe, minime neceſſe eſt. Voce tamen profertur oratio ob triplicem rationem.

Primo ad excitandam interiorem devotionem, quia per exteriora ſigna interior affectus promovetur, hiſque permota mens, ad Deum aſcendit. Unde *S. Aug.* Epiſt. 130. alias 121. ait: *In ipſa fide, & ſpe, & caritate continuato deſiderio ſemper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum, & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantumque in hoc deſiderio profecerimus nobiſmetipſis innoteſcamus, & ad hoc agendum nos ipſos acrius excitemus. Dignior enim ſequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus.* Ideoque privatim orantibus, voce, aliiſve ſignis tantum utendum eſt, quantum utile eſt ad mentis affectum excitandum. Ab illis vero abſtinendum eſt, ſi mens per illa diſtrahatur, vel quovis modo impediatur. Quod in iis præcipue uſuvenit, quorum mens ſine hujuſmodi ſignis ad devotionem ſatis parata eſt & propenſa.

Secundo, vocalis oratio adhibetur *quaſi ad redditionem debiti*, ut loquitur *S. Th.* q. 83. art. 12. *Ut ſcilicet homo Deo ſerviat ſecundum illud totum, quod ex Deo habet, ideſt, non ſolum mente, ſed etiam corpore.* Quod præcipue competit orationi, quatenus eſt ſatisfactoria. Unde *Oſee* ultimo dicitur: *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrum.*

Tertio vocalis oratio uſurpatur, quia vehemens affectio animi quodammodo redundat in corpus, ſecundum illud Pſ. 15. *Lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea.*

Orationis partes præcipuæ.

6. Orationis præcipuæ partes ſunt *Obſecrationes, Orationes, Poſtulationes, & Gratiarum actiones*, ut docet Apoſtol. 1. ad *Timot.* 2. quarum explicationem *S. Hilarius* in Pſ. 140. *S. Aug.* Epiſt. 149. alias 59. ad *Paulinum*, & *S. Thom.* 2. 2. qu. 83. artic. 17. tradunt. *Precationes* intellige, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini Menſa, incipiat benedici, ideſt, ante panis, & vini Conſecrationem, *Orationes*, cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur: ideſt, Canon Miſſæ, a Conſecratione uſque ad Comunionem. *Quam totam petitionem* (inquit S. Aug.) *fere omnis Eccleſia Dominica Oratione concludit.* Poſtulationes *vero fiunt, cum Populus benedicitur. Tunc enim Antiſtites velut Advocati, ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſime offerunt Poteſtati.* Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, *Gratiarum actio* cuncta concludit. Has vero partes quoniam in ceteris orationibus diſcernere ſubtilioris eſt conſiderationis, duas in qualibet oratione præcipuas partes Concilii Tridentini Catechiſmus obſervandas eſſe docet, *Poſtulationem* ſcilicet, ac *Gratiarum actionem*. Nam ad Deum accedimus, ut cultum ei, ac venerationem exhibentes, vel ab ejus bonitate aliquid impetremus, vel ipſi de beneficiis, quibus aſſidue ab illius immenſa benignitate cumulamur, gratias agamus, quod vere dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora ſumamus; quemadmodum canit Eccleſia. Utramque hanc maxime neceſſariam orationis partem Deus ipſe pronuntiat ore Davidis. *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis eruam te, & honorificabis me.* Pſalm. 49.

ARTICULUS II.

De neceſſitate Orationis.

Orationis neceſſitas in Dei præcepto fundata.

ORandi neceſſitatem probat Præceptum a Chiſto traditum, hiſque conceptum verbis, Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Idem probat illa Dominicæ Orationis ſollemnis Præfatio ab Eccleſia uſurpata: *Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati, audemus dicere*, &c. Ideo Chriſtus a Diſcipulis rogatus, ut eos doceret orare, præſcripſit eis orandi formam. Quid mirum? Luc. 11. *Deus ſolus docere potuit, ut ſe vellet orari;* (inquit *Tertull.* Lib. *De Oratione*, c. 9.) *Ab ipſo igitur ordinata religio orationis, & de Spiritu ipſius, jam tunc cum ex ore divino ferretur, animata, ſuo privilegio aſcendit in cœlum, commendans Patri, quæ Filius docuit.* Matth. 7. Attulit etiam ſpem impetrationis eorum, quæ poſtularent, cum ait. *Petite, & accipietis.* Et, *Amen, amen dico vobis; Si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis. Uſque modo non petiſtis quidquam in Nomine meo; Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Joan. 16. Nec præcepto tantum, ſed exemplo nos orare docuit Salvator noſter, non ſolum aſſidue orans, ſed etiam *In oratione pernoctans*. Ejuſdem officii præcepta iis, Lucæ 6. qui Chriſto nomen dediſſent, Apoſtoli tradiderunt. Ad Phil. 3. *In omni oratione, & obſervatione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* 1. ad Theſſ. 5. *Sine intermiſſione orate.* 1. Ad Timoth. 2. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, ſine ira, & diſceptione. Similiter & mulieres, &c.*

Concilii Catech.

Præterea, tam multis indigemus bonis, & commodis ad animum, & corpus tuendum neceſſariis, ut ad orationem confugere oporteat, tanquam ad unam omnium optimam, & indigentiæ noſtræ interpretem, & conciliatricem eorum, quibus egemus. Nam cum nihil cuique debeat Deus, reliquum eſt, ut quæ nobis opus ſunt, ab eo precibus expectemus, tanquam ejus mendici. *Ego vero egenus, & pauper ſum* (inquiebat Rex David) *Deus adjuva me.* Ego tanquam pupillus, Anima mea tanquam vidua deſtituta, & deſolata, Auxilium quæro, ſemper infirmitatem meam confiteor. *Ego vero egenus & pauper.* Donata ſunt mihi peccata, jam cœpi ſequi Præcepta Dei: adhuc tamen egenus, & pauper. Unde egenus, & pauper? Quia *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Unde Pſam. 69. egenus, & pauper? Quia *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam.* Adhuc eſurio, adhuc ſitio. Saturitas mea dilata eſt, Rom. 7. non ablata. *Ego vero egenus, & pauper ſum, Deus, adjuva me.* Rectiſſime & Lazarus *Adjutus*, interpretari dicitur: ille egenus, & pauper, quia ablatus eſt in ſinum Abrahæ: *Et gerit typum Eccleſiæ Dei, quæ ſemper confiteri debet adjutorio ſibi opus eſſe. Hoc eſt verum, hoc eſt pium, Dixi Domino, Deus meus es tu... Quare? Quoniam bonorum meorum non eges.* Ille non eget noſtri, non egemus ipſius: ideo vero Dominus. Nam tu non valde verus Dominus ſervi tui: animo homines, ambo egentes Deo. Si autem putas egere tui ſervum tuum, ut des panem, eges tu ſervi tui, ut adjuvet labores tuos. Uterque veſtrum altero veſtrum indiget. Itaque nullus veſtrum vere Dominus, & nullus veſtrum vere ſervus. Audi verum Dominum, cujus verus es ſervus; *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Quare tu Dominus? *Quoniam bonorum meorum non eges.* Quid autem tu? *Ego vero egenus; & pauper.* Ecce egenus, & pauper. Paſcat Deus, ſublevet Deus, adjuvet Deus: *Deus*, inquit, *adjuva me.* Sic dixerat *S. Aug.* Enarr. in Pſ. 69.

Orationis neceſſitas in indigentia noſtra fundata.

Matth. 5. Lucæ 16. Pſalm. 15.

Ora-

Oramus, ut Dei voluntatem, quantum in nobis eſt, impleamus.

Oramus porro, non ut divinæ providentiæ conſilia, & æterna Decreta immutemus, quod fieri non poteſt, ſed ut æternam, immutabilem, & ſemper adorandam Dei voluntatem, quantum in nobis cum gratia ipſius eſt, impleamus, id impetrando, quod pie poſtulantibus dare decrevit: *Obtineri* quidem *non poſſunt, quæ prædeſtinata non fuerint: ſed ea, quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, ut precibus obtineantur. Nam ipſa quoque perennis Regni Prædeſtinatio ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, ut ad hoc electi ex labore perveniant: quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſæcula diſpoſuit donare.* Verba ſunt *S. Greg. Magni*, Lib. 1. *Dialogorum*, c. 8. Quamobrem etſi Deum, qui abundantia pietatis ſuæ, & merita ſupplicum excedit, & vota, noſque prævenit in miſericordia, & miſerationibus, multa dare non petentibus certum omnino ſit, nempe fidem, pœnitentiam, ipſam orandi gratiam, & alia, quia tamen plurima ſunt, quæ donare non vult niſi rogatus, eum rogare neceſſe eſt. Quamvis *Elias* Propheta Dei nomine pluviam promiſiſſet, ſciretque falſum eſſe non poſſe, quod Deus promiſit, pluviam tamen a Deo ferventer poſtulavit, quam uni orationi concedendam noverat. *Rurſum oravit, & cœlum dedit pluviam.* Dæmonum quoddam genus Chriſtus eſſe docet, quod *Non ejicitur niſi per orationem, & jejunium.* Quare magnam ſibi adimunt facultatem ſingularium donorum, qui hanc conſuetudinem, exercitationemque non adhibent pie, ac diligenter orandi. Unde S. Jacobus Apoſtolus ait: *Non habetis, propter quod non poſtulatis.* Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet; (inquit *S. Aug.*) Conſtat, Deum alia danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei, alia nonniſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam (inquit idem S. Doctor Lib. *De Bono perſeverantiæ*, cap. 16.) Novit plane Deus, quid nobis neceſſarium ſit: ſed tamen oratione opus eſt, *Quia ipſa orationis intentio cor noſtrum ſerenat, & purgat, capaciuſque efficit ad excipienda divina munera, quæ ſpiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui ſemper paratus eſt dare lucem ſuam nobis, non viſibilem, ſed intelligibilem, & ſpiritualem: ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione converſio cordis ad eum, qui ſemper dare paratus eſt, ſi nos cupiamus, quod dederit: & in ipſa converſione purgatio interioris oculi, cum excluduntur ea, quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis ſimplicis ferre poſſit ſimplicem lucem, divinitus, ſine ullo occaſu, aut immutatione fulgentem: nec ſolum ferre, ſed etiam manere in illa, non tantum ſine modeſtia, ſed etiam cum ineffabili gaudio, quo vere, ac ſinceriter beata vita perficitur.* Verba ſunt *S. Aug.* Lib. 2. *de Sermone Domini in Monte*, c. 3.

3. Reg. 18.

Jac. 5.

Math. 17.

Multa bona Deus dare non decrevit, niſi orantibus.

Et Ep. 130. alias 121. *Intelligamus*, inquit, *quod Dominus, & Deus noſter non voluntatem noſtram ſibi velit innoteſcere, quam non poteſt ignorare, ſed exerceri in orationibus deſiderium noſtrum, quo poſſimus capere, quod præparat dare. Illud enim valde magnum eſt, ſed nos ad capiendum parvi, & anguſti ſumus. Ideo nobis dicitur.* Dilatamini & vos. *Tanto quippe illud, quod valde magnum eſt, quod nec oculus vidit, quia non eſt color, nec auris audivit, quia non eſt ſonus, nec in cor hominis aſcendit, quia cor hominis illuc debet aſcendere, ſumemus capacius, quanto id & fidelius credimus, & ſperamus firmius, & deſideramus ardentius.*

2. Cor. 6.

Oratio neceſſaria ut gratiam a Deo impetremus.

Neceſſaria eſt oratio, ut Gratiam impetremus a Deo, ſive ad tentationes vincendas, quæ undique frequentes ingruunt, ſive ad implenda Divina Mandata, quæ non impleremus, niſi ſanata infirmitate voluntatis noſtræ per gratiam medicinalem Salvatoris, ſive ad perſeverandum, cum donum perſeverantiæ orationi aſſiduæ, ac ferventi detur. Ipſa oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio. *Agenda ſunt gratiæ, quia data eſt poteſtas, & orandum, ne ſuccumbat infirmitas* (inquit *S. Aug.* Tract. 53. *in Joan.*) Et Enarr. in Pſal. 120. *Poteſtatem accepiſti, ut poſſis filius Dei fieri: unde accepiſti hanc poteſtatem? Credentibus, inquit, in nomine ejus. Si ergo credis, ipſa tibi poteſtas data eſt, ut ſis inter filios Dei; ſed quid valet ipſa poteſtas, quam accipit homo, niſi Dominus protegat? Ecce credidit, jam ambulat in fide, infirmus eſt, inter tentationes agitur, inter moleſtias, inter carnales corruptiones, inter ſuggeſtiones, inter cupiditates, inter verſutias. & laqueos Inimici. Quid ergo valet, quia habet poteſtatem; & credidit in Chriſtum, ut ſit inter filios Dei? Væ homini illi, niſi & ipſius fidem Dominus protegat, ideſt, ut non permittat tentari ſupra quam poteſt ferre.* Homo quidam deſcendens ab Jeruſalem in Jericho incidit in latrones, qui ſemivivum reliquerunt, *gravibus ſaucius, confoſſuſque vulneribus, non ita poteſt ad Juſtitiæ culmen aſcendere, ſicut potuit inde deſcendere: quia etiamſi jam in ſtabulo eſt, adhuc curatur. Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis. Jam nunc videamus, unde poſſit, unde non poſſit... Medicina poterit, quod vitio non poteſt* (inquit *S. Aug.* Lib. *De Natura & Gratia*, cap. 43.) Ad Medicum ergo confugiendum eſt, ejuſque implorandum auxilium, ſine quo nihil facere poſſumus. Et c. 67. *Illinc gratias agant, cum inſtituerint bene vivere, quod aliquid ſine difficultate fecerint, & ubi difficultatem aliquam ſentiunt, fideliſſimis, & perſeverantiſſimis precibus, & Miſericordiæ promptis operibus facilitatem a Domino impetrare perſiſtant.*

Lucæ 10. 30.

Et Libro *De Gratia, & Libero Arbitrio*, c. 16. *Certum eſt, nos Mandata ſervare, ſi volumus; ſed quia præparatur voluntas a Domino, ab ipſo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit; ut volendo faciamus.*

Idem confirmat *S. Fulgentius*. Lib. 2. *De Veritate Prædeſtinationis*, c. 3. *Cognitione*, inquit, *Mandati liberum hominis arbitrium convenitur... ut per Mandati notitiam infirmitatis ſuæ ſibi conſcius fiat, & adjutorium gratiæ medicinalis expoſcat, qua percepta poteſt diligere, quod jubetur, & facere, & agnoſcere, vel quid poſſit, vel quid non poſſit, & ut poſſit expoſcere, & ſibi ſuæ infirmitatis imputare miſeriam, & ſanitatis aſſignare beneficiis medicinalibus gratiam.*

Ad obtinendum perſeverantiæ donum ita neceſſaria oratio eſt, ut *Ipſius S. Petri ardentiſſima fides in tentationibus defeciſſet, niſi pro eo Dominus ſupplicaſſet:* Ego *autem rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* S. Proſper in Ep. ad Ruffin. Joan. 22. 32.

ARTICULUS III.

De Utilitate Orationis.

Primus orationis fructus.

I. MUltiplices Orationis fructus in Conc. Trid. Catechiſmo recenſentur. Primus eſt, quod orantes honorem Deo exhibemus: ſiquidem oratio Religionis actus, & argumentum eſt. Quamobrem in ſacris Litteris thymiamati comparatur. *Dirigatur oratio mea*, (inquit Propheta) *ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Hinc *Clemens Alexandr.* Lib. 7. Pſal. 140. Stromatum ait: *Deum precibus honoramus, & hoc eſt optimum, ac Sanctiſſ. Sacrificium.* Et *S. Aug.* Enarr. in Pſ. 147. *Oratio*, inquit, *pure directa de corde fideli tanquam de Ara ſancta ſurgit incenſum.* Non extra nos quærenda eſt victima. *Apud me oratio vitæ meæ.* Intus habeo victimam, quam Pſal. 41. immolem, thus, quod imponam, ſacrificium, quo flectam Deum meum: *Dicam Deo, Suſceptor meus es.* Hac ratione Deo ſubjectos nos eſſe profitemur, quem bonorum omnium Auctorem agnoſcimus, & prædicamus. Hac profeſſione maxime Deus honoratur: *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

II. Fructus alter orationis eſt eorum, quæ a Deo poſtulamus, impetratio. Oratio clavis eſt cœli, aſcendit oratio, & Pſal. 49. deſcendit miſeratio. Accipimus autem fidei, ſpei, & caritatis augmentum, neceſſarium ad vincendas tentationes auxilium, vires ad victoriam de ſalutis noſtræ hoſtibus, mundo, carne, diabolo reportandam, remiſſionem peccatorum, liberationem a pœnis, omnis benedictionis ſpiritualis in Chriſto Jeſu copiam, gaudii ſingularis plenitudinem. *Petite* (inquit Chriſtus) *& accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Joan. 16. Præſto eſt Dominus, ut exaudiat clamantes ad ſe. *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet illos.* Hinc idem Pſal. 144. Propheta ait: *Quoniam tu, Domine, ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.* Et Iſaias: *Tunc in-* Pſal. 85. *vocabis, & Dominus exaudiet: clamabit, & dicet. Ecce adſum, ſi abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere* Iſai. 58. *digitum, & loqui quod non poteſt.* Et alibi: *Eritque, ante-* Iſai. 65. *quam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Prophetæ concinit Apoſtolus; *Idem* (inquit) *Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, Rom. 10. Non expectat preces noſtras, illas tribuendi celeritate antevertit. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Quin etiam digne petentibus Pſal. 90. ſæpe multo plus tribuit, quam poſtulaverint, *Qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus, ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis.* Id filii Epheſ. 3. prodigi ſimilitudine declaratur, qui a patre id unum poſtula- Lucæ 15. bat, ut loco mercenarii illum haberet: veruntamen pius, & miſericors pater *Accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum*, juſſitque ipſi reſtitui *Stolam primam, & annulum*, conviviumque inſtrui, & tibicines vocari, ſuam de illius reditu, & incolumitate lætitiam ut ſignificaret. Ser- Matth. 18. vus, qui decem milia talenta domino ſuo debebat, inducias duntaxat poſtulabat, & totius debiti remiſſionem optimus Dominus illi conceſſit. Latro pœnitens id unum Chriſtum Lucæ 23. rogabat, ejus ut meminiſſet, poſtquam veniſſet in Regnum ſuum: & Paradiſi poſſeſſionem ipſa die conſequendam ſtatim illi promiſit. *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Orationis fructus alter.

Cur interdum a Deo non impetremus quæ petimus.

Fit quidem interdum, ut quæ petimus a Deo, non impetremus: ſed id contingit, vel quia remiſſe, ac negligenter oramus, vel quia Deus nobis majora, & ampliora impertitur, vel quia petimus, quod ſaluti noſtræ conducibile non eſt. *Petitis*, (inquit S. Jacobus,) *& non accipitis,* Jac. 4. *eo quod male petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Pſal. 43. Clamabo *per diem* (inquit Propheta,) *& non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* Ideſt, hoc ipſum, quod non exaudies, non ad inſipientiam mihi, ſed ad intellectum. *Me non exaudies ad temporalia, ut intelligam a te deſideranda ſempiterna. Non ergo relinquit Deus, & cum videtur relinquere, tollit quod male deſideraſti; & docet,*

quid

quid debeas bene deſiderare (inquit *S. Aug.* Enarr. in Pſ. 43.) Cito exauditur, qui terrena non petit, ſed ſpiritualia; *In quocunque die invocavero te, exaudies me, multiplicabis in anima mea virtutem.* Qui virtutum incrementa petit, cito exauditur. Diſcamus ſic petere, ut mereamur accipere. Oremus cum David: *Salvum me fac dextera tua, & exaudi me.* Non ſalutem temporalem peto; de hac fiat voluntas tua. Ad tempus quid nobis proſit, penitus ignoramus, quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus. Sed *Salvum me fac dextera tua*, ut etſi in tempore iſto tribulationes aliquas patiar, tranſacta nocte omnium tribulationum ad dexteram inveniar inter oves, non ad ſiniſtram inter hœdos. *Intelligat ergo Caritas veſtra* (inquit *S. Aug.* Enarr. in Pſ. 59.) *omnem fidelem habentem in corde verbum Dei cum timore, timentem Judicium futurum, viventem probabiliter; ne de illo blaſphemetur nomen ſanctum Domini ejus; multa deprecari ſecundum ſæculum, & non exaudiri, ad vitam autem æternam ſemper exaudiri. Quis enim ſanitatem non petat, cum ægrotat? Et tamen forte adhuc ægrotare ei utile eſt. Poteſt fieri, ut hinc non exaudiaris: non tamen exaudiaris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem. At vero cum illud petis, ut det tibi vitam æternam Deus, ſecurus eſto, accipies, ſi modo non accipis: non enim jam venit tempus, ut accipias. Exaudiris, & neſcis: quod petis agitur, etſi neſcis, in quo agitur. In radice res eſt, nondum in fructu.* Qui rogat Deum, ut a tribulationibus liberetur, & non exauditur, *Intelligat Medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento poſitus ureris, ſecaris, clamas; non audit Medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem. Ad utilitatem non eſt exauditus Paulus; ad damnationem exauditus eſt Diabolus.* Petiit Job ad tentandum, & conceſſum eſt: Dæmones petierunt, ut irent in porcos, & exauditi ſunt. Dæmones exaudiuntur, Apoſtolus non exauditur: ſed illi exaudiuntur ad damnationem, Apoſtolus non exauditur ad ſalutem; (inquit *S. Aug.* in Pſal. 21. Enarr. 2.)

Pſal. 13. 7.

Pſal. 59.

Et Enarrat. in Pſ. 144. ad illum Verſum, *Oculi omnium in te ſperant, Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno*, ait: *Prorſus tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere; tunc das, & quod debet, hoc das. Itaque aliquando deſideratur ab illo, & non dat: novit horam dandi, qui curat.... Quando non dat, ideo non dat; ne obſit, quod dat.* Non petebat aliquid injuſtum Apoſtolus, quando rogabat, ut auferretur ab eo ſtimulus carnis Angelus Satanæ, a quo colaphizabatur, & tamen rogavit, & non accepit, quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis, non eſcæ opportunitatis. *Sufficit*, inquit, *tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

2. Cor. 12.

Et Serm. 354. alias 53. *De Verbis Domini*, cap. 7. *Non habeatis*, inquit, *pro magno exaudiri ad voluntatem: habete pro magno exaudiri ad utilitatem... Ad voluntatem Iſraelitæ exauditi ſunt, & cum adhuc cibus eſſet in ore ipſorum, noſtis, quæ conſecuti ſunt... Aliquando Deus iratus dat, quod petis, & Deus propitius negat, quod petis. Cum vero ea, quæ Deus laudat, quæ Deus præcipit, quæ Deus in futuro ſæculo promittit, ab illo petitis, ſecuri petite, & incumbite, quantum poteſtis, orationibus, ut ſumatis. Illa enim propitio Deo conceduntur: illa ejus non ira, ſed miſericordia largiuntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, cum timore petite; illi committite, ut ſi proſint, det; ſi ſcit obeſſe, non det. Quid autem obſit, quid proſit, Medicus novit, non ægrotus.*

Tertius orationis fructus.

III. Tertius orationis fructus eſt exercitatio, & incrementum virtutum, maxime vero fidei. Qui enim rite orat, inſtitutionem, mandatumque Dei quo nos orare ſe docuit, ac rogantes exauditurum promiſit, præ oculis habens, fide roboratus dat gloriam Deo, *Pleniſſime ſciens, quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere.* Fide ad Deum accedit, ejuſque Majeſtatem infinitam, omnipotentiam, providentiam, bonitatem, miſericordiam, ſuamque infirmitatem, & diligentiam apprehendit. Sic poſtulat, *In fide nihil hæſitans*: Et quo ſtudioſius, ac ferventius orat, eo magis fides ejus augetur. *Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat, quod non credit? Unde & Apoſtolus, cum ad orandum exhortaretur, ait*: Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. *Et ut oſtenderet fidem fontem eſſe orationis, nec poſſe ire rivum, ubi caput aquæ ſiccatum, adjunxit, atque ait, Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? Ergo ut oremus; credamus, & ut ipſa non deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fuſa oratio fidei impetrat firmitatem. Etenim, ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait*; Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. *Quid eſt in tentationem intrare, niſi a fide exire? In tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit, & in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit.* Unde idem Chriſtus ait; *Ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Rogat, qui tuetur, & non rogat, qui periclitatur? (inquit *S. Aug.* Serm. 115. alias 36. *de Verbis Domini.*)

Orationis utilitas ad incrementum fidei.
Rom. 4.

Rom. 10.

Lucæ 22.

Orationis utilitas ad excitationem, & incrementum ſpei.

IV. Spes etiam Chriſtiana per orationem exercetur, & augetur. Qui enim recte orat, maxima cum fiducia, quod credit, expectat divinis promiſſis animatus. Ait enim Chriſtus; *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*: Et, *Ego dico vobis; Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis; omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulſanti aperietur.* Atque, ut ſpem noſtram corroboraret, iſta ſimilitudine utitur; *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piſcem? nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ovum, nunquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe?* Tam piis promiſſis fretus Chriſtianus homo, anchoram ſpei ſuæ in Chriſto figit, & per ipſum orationem ſuam offert Patri, ipſique ſecundum formam Dei, & Spiritui Sancto, cujus afflatu dicimus cum David, *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Spes autem orantis non ſolum firma, ſed etiam patiens ſit, neceſſe eſt. Propterea, neque tempus, neque modus Deo ſtatuendus eſt, qui novit, quando, & quomodo preces noſtras exaudiat. Hanc Domino Deo noſtro devotionem debemus, ut non ideo nos ab eo negligi exiſtimemus, ſi non ſtatim ea dederit, quæ petimus, aut abſtulerit, quæ amamus, ſed potius pia patientia malorum, bona ſperemus ampliora. Et ſi quid contra, quod oramus, acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratis agendo, voluntatem Dei potius, quam noſtram, impleri debuiſſe credamus, atque impletam fuiſſe gaudeamus. Hunc orantis affectum exprimit David Pſal. 26. *Expecta Dominum*: inquit, *viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Et Pſal. 39. *Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi. Et exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.* Inſigne patientiſſimæ ſpei præbuit exemplum Sancta illa Teſtamenti Veteris Heroina *Judith*; quæ cum intellexiſſet *Oziam* promiſiſſe deditionem Betuliæ civitatis quinto die, ſi interea non veniret adjutorium a Domino, graviter *Oziam*, & Presbyteros objurgavit, dicens; *Qui eſtis vos, qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potius, qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſti vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei... Humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato, ſervientes illi, dicamus flentes Domino, ut ſecundum voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum Miſericordiam ſuam... Expectemus humiles conſolationem ejus.*

Matt. 11.

Lucæ 11.

Pſal. 24.

Judith 8.

Utilitas orationis ad caritatis incrementum.
1. Theſſ. 5.

V. Sed & caritatis incrementum per orationem habetur; Deum enim agnoſcentes omnium bonorum noſtrorum auctorem, quanta eum poſſumus maxima caritate amplectimur, ipſumque deſideramus. Unde *S. Aug.* Ep. 130. ad *Probam*, ſcribit: *Quod ait Apoſtolus*, Sine intermiſſione orate, *quod eſt aliud, quam beatam vitam, quæ nulla niſi æterna eſt, ab eo, qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderare? Semper ergo hanc a Domino Deo deſideremus, & oremus ſemper. Sed ideo ab aliis curis, atque negotiis, quibus ipſum deſiderium quodammodo tepeſcit, certis horis ad negotium orandi mentem revocemus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id, quod deſideramus, intendere, ne quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat, & pœnitus extinguatur, niſi crebrius inflammetur.* Accedit, quod ut amantes colloquio, & congreſſu magis ad amorem incenduntur, ſic pii homines, quo ſæpius Deo preces facientes, & ejus implorantes bonitatem, quaſi cum ipſo colloquuntur, ad eum amandum, & colendum incitantur ardentius. Propterea etiam Deus ſiccitates, & deſolationes interiores juſtis interdum immittit, quibus pene dejiciuntur, ut ipſum ferventius rogent, illiuſque benignitatem, & auxilium experti, ejus amore magis inardeſcant. *Eſurientes, & ſitientes, Anima eorum in ipſis defecit.* Sed quare defecit? Cui bono? *Non enim crudelis eſt Deus, ſed ſe commendat, quod expedit nobis, ut nobis deficientibus rogetur, & ut ſubveniens ametur*; (inquit *S. Aug.* Enarratione in Pſal. 106.) Ideo ſubdit Propheta: *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.* Ideo etiam Orationes Sanctorum Deus ſtatim non exaudit, ut eorum amor, aut fervor dilatione beneficii magis in oratione accendatur. *Oratio Sanctorum quaſi dilatione repellitur, ut tanquam ignis flatu repercuſſus, inflammetur ardentius.* Verba ſunt *S. Auguſtini*, Enarr. in Pſal. 87.

Pſal. 106.

Utilitas orationis ad humilitatem fovendam & augendam.

VI. Valet etiam oratio ad fovendam, augendamque humilitatem, ut intelligamus, noſtra opera nihil nos conſequi poſſe, nihil mereri, nihil boni agere, dicere, cogitare, ſi gratiæ cæleſtis auxilio deſtituamur, utque propterea toto animo ad orandum incumbamus. Unde *S. Aug.* Lib. *De Dono Perſeverantiæ*, cap. 7. *Si ergo*, inquit, *alia documenta non eſſent, hæc Dominica Oratio nobis ad cauſſam Gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret, quia nihil nobis reliquit, in quo tanquam in noſtro gloriemur, ſiquidem, & ut non diſcedamus a Deo, non oſtendit dandum eſſe niſi a Deo; cum poſcendum oſtendit a Deo.* Et infra: *Poſci a ſe voluit, ne inferamur in tentationem, quia ſi non inferamur, nulla ab eo ratione diſcedimus, quod poterat nobis etiam non orantibus dari, ſed oratione noſtra nos voluit admoneri, a quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim niſi ab illo accipimus, a quo juſtum eſt, ut petamus? Prorſus hac in re non operoſas diſputationes expectet Eccleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas. Orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat, ut credentes perſeverent; Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem.* Ipſa etiam orandi facultas a Deo eſt, idque cognoſcit & humiliter confitetur, qui recte orat. *Quis enim* (inquit *S. Aug.* c. 23. ejuſdem Libri) *veraciter gemat deſiderans accipere, quod orat a Domino, ſi hoc a ſe ipſo ſe ſumere exiſtimet, non ab illo, præſertim quoniam, quod oremus ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus* (ait Apoſtolus) *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus... Ubi intelligimus, & hoc ipſum eſſe donum Dei, ut veraci corde, & ſpiritualiter clamemus ad Deum. Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant eſſe a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus, & hoc eſſe dicunt, quod Gratia præceditur merito noſtro, ut ſequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulſantibus, nec volunt intelligere, etiam hoc divini muneris eſſe, ut oremus, hoc eſt petamus, quæramus, atque pulſemus. Accipimus enim ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.*

Rom. 8.

Et Epiſt. 194. alias 105. ad *Sixtum*, cap. 5. *Si dixerimus meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ conſequatur: impetrando quidem oratio quicquid impetrat, evidenter donum Dei eſſe oſtendit, ne homo exiſtimet a ſe ipſo ſibi eſſe, quod ſi in poteſtate haberetur, non utique poſceretur: veruntamen, ne ſaltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, ſed jam nec gratia eſſet, quia debita redderetur, etiam ipſa oratio inter gratiæ munera deputatur... Sicut ergo nemo recte ſapit, recte intelligit, recte conſilio, ac fortitudine prævalet, nemo ſcienter pius eſt, vel pie ſciens, nemo timore caſto Deum timet, niſi acceperit Spiritum Sapientiæ, & intellectus, conſilii, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, & timoris Dei, nec habet quiſquam virtutem veram, caritatem ſinceram, continentiam religioſam, niſi per Spiritum virtutis, & caritatis, & continentiæ, ita ſine Spiritu fidei non eſt recte quiſpiam crediturus, nec ſine ſpiritu rationis ſalubriter oraturus. Non quia tot ſunt ſpiritus, ſed omnia hæc operatur unus, atque idem Spiritus dividens propria unicuique prout vult.* Ideo Propheta ait: *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & miſericordiam ſuam a me.* Quæ verba *S. Aug.* explicans, ait: *Ergo non deficiamus in oratione. Ille quod conceſſurus eſt, etſi differt, non aufert: ſecuri de pollicitatione ipſius non deficiamus orando, & hoc ex beneficio ipſius eſt... Cum videris non a te amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt a te amota Miſericordia ejus.*

Pſal. 65.

In oratione arma invenimus contra ſalutis hoſtes.

VII. In oratione præterea contra ſalutis noſtræ hoſtes arma invenimus. Unde Chriſtus nos ad prælium contra Dæmones inſtruens; *Vigilate*, inquit, *& orate, ut non intretis in tentationem.* Diabolo terribilis eſt Chriſtianus orans, piaque in Deum fiducia animatus, dicere poteſt: *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum, Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Inermes potiſſimum aggreditur, & ſolitarios Hoſtis ille vaferrimus: Opus nobis eſt fidei ſcuto, & aſſiduis precibus, ut illum vincamus, ac debellemus. Dicamus ergo cum David: *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam.* Metus eſt enim (inquit S. Hilarius) ne infirmam per naturam, & conſortium carnis Animam undique, ſubrepentium illecebrarum æſtus abſorbeat. Adſunt namque quotidie, & pugnant blandimentis fallacibus, quaſdam machinas ad excidia admoventes. Itaque ad doctrinam cœleſtis eruditionis pervigilem curam fidei impendere admonemur, timore inſidiantem ſemper hoſtem, ne incautam ſecuritatem noſtram ipſe in ſpeculis poſitus incurſet. Vigilandum ergo in oratione Dei eſt, & ſemper orandum: ut cum fatigari Anima, & affligi ſubrepentium illecebrarum aculeis cœperit, Deus ſemper oratus exaudiat, noſque ab his, quæ timemus, eripiat, inquit *S. Hilarius*. Chriſtianorum orantium chori, caſtra ſunt pugnantium adverſus Diabolum. Unde *Canticorum* 7. ſcriptum eſt. *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?* Scilicet, *Adverſus Diabolum, armaque ejus, orationum noſtrarum ſonitu certandum eſt, & belli noſtri victoria exultationis voce monſtranda eſt*: (ait *S. Hilarius* Enarratione in Pſalm. 65.) Orantibus Chriſtianis ſimile quid contingit Miraculo, quod impetratum eſt a Melitina Legione, quæ Chriſtianæ Religionis profeſſione magis, quam bellica fortitudine illuſtris ſub Imperio *M. Aurelii* fuit. Cum Imperator adverſus Germanos, & Sarmatas pugnaturus aciem inſtrueret, & exercitus ipſius ſiti premeretur, Milites Legionis Melitinæ, dum acies adverſus hoſtes ordinaretur, flexis in terra genibus, ut noſtris orantibus mos eſt, preces ad Deum fudiſſe perhibentur. Cujus ſpectaculi novitate hoſtibus ſtupefactis, aliud quiddam majori dignum admiratione accidiſſe narrant: hinc quidem fulminum jactus, quibus hoſtium copiæ in fugam verſæ, atque extinctæ ſunt, illinc vero imbrium vim, quibus exercitus eorum, qui Deum precati fuerant, jam jam ſiti periturus, præter ſpem recreatus eſt. Miraculum agnovit *M. Aurelius*, & in gratiam Legionis, quæ *Fulminea* idcirco appellata eſt, pœnam capitis comminatus eſt accuſatoribus Chriſtianorum. Refert *Euſebius* Lib. 5. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, cap. 5. Chriſtiani in graviſſimarum tentationum æſtu adverſus Diabolum certantes, aridi, gratiæ divinæ ſalutarem ſitiunt aquam, ne deficiant. Oculos, manuſque ſupplices ad Deum extollunt, humileſque preces fundunt, ut eorum ſiti ſpirituali ſubveniat, viresque contra hoſtes tribuat: *Anima mea* (inquiunt) *ſicut terra ſine aqua tibi: velociter exaudi me, Domine: defecit ſpiritus meus... Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.* Protinus omnipotentis Dei virtute fulgurante, & tonante dæmones terrentur, conturbantur, diſſipantur, *Et intonuit de cœlo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam. Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* Hinc vero pluviam voluntariam ſegregat Deus hæreditati ſuæ: cœleſtem gratiarum imbrem immittit, quo Milites ejus recreati victoria per Jeſum Chriſtum fruuntur. *Et apparuerunt fontes aquarum... Fulgura in pluviam fecit.*

Matth. 26.
Pſal. 26.

Pſal. 63.

Pſal. 142.

Pſal. 67.
Pſal. 17.

Pſal. 134.

Iræ Divinæ reſiſtit oratio.

VIII. Iræ denique divinæ reſiſtit oratio, fulmina de manibus illius (ſi ita loqui fas eſt) extorquet, illumque peccatoribus propitium reddit. Unde Dominus ait ad Moyſen, *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus... Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum... Placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* Quod a Propheta commemoratur Pſ. 105. *Et dixit, ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus, ut averteret iram ejus.* Deo precibus ſuis veluti vim faciebat Moyſes, ſed vim omnino gratam, ne omnem iram ſuam in populum effunderet: Se gerebat ſcilicet Deus, ut patrem æquiſſimum ſimul, & amantiſſimum, qui ad vindicandam injuriam ſibi a filiis irrogatam ita propenſior eſt zelo juſtitiæ, ut tamen amicos iræ ſuæ intercedere, gratiamque illis ſuam reconciliare ex animo velit. Quamobrem his verbis, *Dimitte me*, ſignificat Deus plurimum apud ſe prodeſſe illi populo, quia ſic ab illo viro diligebatur, quem Dominus diligebat: *Ut eo modo admoneremur, cum merita noſtra nos gravant, ut diligamur a Deo, relevari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit.* Verba ſunt *S. Auguſtini*, q. 149. in *Exodum*.

Exod. 32.

ARTICULUS IV.

Quid orandum.

Ser. 56. alias de Diverſis 45.

D*Uas res, qui invocat, cavere debet* (inquit S. Auguſt.) *Ne petat, quod non debet, & ne ab illo petat, a quo non debet.* A diabolo, ab idolis, a dæmonibus non eſt petendum aliquid; a Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto, Deo Patre Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum, a Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti, a Deo, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, ab illo petendum eſt, ſi quid petendum eſt. Solius Dei nomen invocamus, tanquam auctoris, & fontis omnium bonorum noſtrorum: ipſum unum oramus, & orare debemus, tanquam eum, qui nobis præſtare poteſt omnia, quæ petimus, gratiam præſertim, & gloriam: *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: & qui nos a malis omnibus eripere poteſt. A Sanctis autem, qui in maxima gratia ſunt apud Deum, petimus, ut noſtri patrocinium ſuſcipiant, ut pro nobis, & nobiſcum orent, nobiſque a Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas, modo differentes. Deum enim invocantes, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem Sanctam, unum Deum, proprie dicimus, *Miſerere nobis, Exaudi nos*: cum autem Sanctos invocamus, dicimus, *Ora pro nobis, intercede pro nobis.* Quamquam licet etiam alia quadam ratione petere a Sanctis ipſis, ut noſtri miſereantur: ſunt enim maxime miſericordes. Itaque precari poſſumus eos, ut conditionis noſtræ miſeria permoti, ſua nos apud Deum gratia, ac deprecatione juvent, (ut explicat Concil. Trid. Catechiſmus.) Hoc ſenſu, & ſingulari etiam quadam ratione Eccleſia Deiparam Virginem hunc in modum precatur; *Peccatorum miſerere*; quatenus ſcilicet *Miſericordiæ Mater* eſt propter Chriſti partum: non autem dicitur miſereri eo ſenſu quo Sancta Trinitas, quaſi ſummam auctoritatem habens, & ut fons miſericordiæ. Quamobrem cum Fidelis ad Imaginem Sancti alicujus Dominicam Orationem pronuntiat, ad ipſum Sanctum Orationem illam primario non dirigit, ſed ab illo petit, ut ſecum oret, ſibique poſtulet ea, quæ Dominicæ Orationis formula continentur, ut ſui denique ſit interpres, & deprecator ad Deum. Hoc enim officio illos fungi, *S. Joannes* teſtatur, Apocalyp. 8. *Et aſcendit*, inquit, *fumus incenſorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Vide, quæ diximus de invocatione Sanctorum, cum primum Decalogi Præceptum explicuimus.

Solus Deus invocandus, & orandus, ut fons, & auctor omnium bonorum noſtrorum.

S. Th. 2. 2. q. 83. art. 5.

Sanctos invocamus, ut noſtros apud Deum Patronos.

Neque vero ſignum eſt diffidentiæ de Deo, quod Sanctos oramus, ſed noſtræ potius humilitatis, ſummiſſique animi argumentum; quia nos indignos cenſemus, qui coram Divina Majeſtate ſoli compareamus, vel ab ea impetremus, quæ nobis neceſſaria ſunt. Vult autem Deus, ut Sanctos apud ipſum adhibeamus interceſſores, tum ut illis hunc honorem procuret, ac oſtendat quanta ſint apud illum gratia; tum quia quædam nonniſi eorum precibus concedere diſpoſuit. *Sancti ergo impetrant illud, quod Deus vult fieri per orationes eorum. Et hoc petunt, quod æſtimant ſuis orationibus implendum per Dei voluntatem* (inquit *S. Thom.* 2. 2. q. 83. art. 11.)

A R-

ARTICULUS V.

De variis orandi gradibus, ſive modis.

Optimus, & ſummus orandi gradus eſt juſtorum.

I. OPtimus, & ſummus orandi gradus, ſive modus, ille eſt, in quem Sancti per multos aſcenſionum gradus, in corde puriſſimo, ſive in animo a terrenis rebus, mundique illecebris penitus expedito, a Spiritu Sancto diſpoſitos, ſingulari gratia evehuntur: in quo ſcilicet infinitam Dei potentiam, immenſam benignitatem, ac ſapientiam contemplari poſſunt, illuminatis per fidem vivam cordis oculis: ubi etiam in ſpem certiſſimam veniunt, ſe quidquid pie, ac perſeveranter a Deo petierint, ad ejus honorem, ſalutemque ſuam pertinens, impetraturos eſſe. Hi quaſi filii amantiſſimo Patri, quid ſibi neceſſe ſit, exponunt, ſuique animi affectus, deſideria, interiores miſerias, & ſpiritalem inopiam, effuſis veluti cordibus, & in ſinum illius conjectis pandunt nihil horum ignoranti, cum omnium corda noverit. Eorum nomine ait Propheta: *Effundo in conſpectu ejus orationem meam, & tribulationem ante ipſum pronuntio.* Et rurſus, *Effundite coram illo corda veſtra; Deus adjutor noſter in æternum.* Hunc precationis gradum *S. Aug.* deſignat *Enchiridii* c. 7. cum ait; *Fides credit, ſpes, & caritas orant. Sed ſine fide eſſe non poſſunt, ac per hoc & fides orat.* In Juſtis orat Spiritus Sanctus inhabitans. In his manens Chriſtus orat, qui manet in Chriſto orat, & dat quod orat, (ut loquitur *S. Aug.*) De his ſcriptum eſt: *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos.* Illi Deum invocant in veritate, qui nihil ab illo quærunt præter ipſum, aut certe illum rebus omnibus creatis præponunt. Nam multi eum invocant in veritate (inquit *S. Aug.* Enarratione in Pſ. 144.) *Aliud ab illo quærunt, & ipſum non quærunt.* Quare amas Deum? Quia mihi dedit ſanitatem. Illud manifeſtum eſt, ipſe dedit. Non enim ab ullo eſt ulla ſalus, niſi ab illo. Quia dedit mihi (inquis) uxorem divitem. Et hoc ipſe dedit, verum dicis. Dedit filios, & multos, & bonos, dedit familiam, dedit omnia bona. Ideo amas? Ideo nihil amplius quæris? Eſto eſuriens, adhuc pulſa ad januam Patris familias, habet adhuc quod det. In mendicitate es cum omnibus his, quæ accepiſti, & neſcis. Pannoſam carnem mortalitatis adhuc portas, ſtolam illam gloriæ immortalitatis nunquid accepiſti, & quaſi jam ſatiatus non rogas? *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Ergo ſi bonus eſt Deus, quia iſta tibi dedit; quanto beatior eris, cum ſe ipſum tibi dederit? Deſideraſti tanta ab illo, deſidera & ipſum, Neque enim vere dulciora ſunt iſta, quam ille, aut ex aliqua parte comparanda ſunt illi. *Ergo, qui Deum ipſum, a quo accepit, de quibus gaudet, præponit his omnibus rebus, quas accepit, ipſe invocat Deum in veritate,* Nam ut noveritis, ſi talibus hominibus proponatur, & dicatur, Quid ſi iſta omnia, de quibus gaudes, velit tibi auferre Deus? Jam non amabitur; non erit, qui dicat, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum.* Sed forte, cui abſtulit, quid dicit? Deus, quid tibi feci? Quare mihi abſtuliſti, & illis dediſti? iniquis das, & tuis tollis. Accuſas Deum quaſi injuſtum, & te laudas quaſi juſtum. Convertere, accuſa te, lauda illum. *Tunc eris rectus, cum in omnibus bonis, quæ facit, Deus tibi placet; in omnibus malis, quæ pateris, Deus tibi non diſplicet. Hoc eſt invocare Deum in veritate.* Qui ſic invocant Dominum, exaudit eos. *Prope eſt*, ideſt, nondum dedit quod vis, ibi eſt tamen. Quomodo Medicus ſi forte imponat aliquid, vel oculo, vel viſceribus, quod utendo ſanet, ſi roget æger, ut tollatur illi. Medicus expectat tempus, non facit, quod rogat æger, non tamen recedit. Et prope eſt, & non facit; & ideo magis non facit, quia prope eſt. Curando enim impoſuit, quod impoſuit, & curando non facit, quod rogatur. *Non te exaudit ad præſentem voluntatem, exaudiendo ad futuram ſanitatem, & hoc utique ad voluntatem. Nam utique ſanus eſſe vult, etiam qui uri non vult*...Si ideo times Deum, ut tu facias ipſius voluntatem, ecce & ipſe quodam modo miniſtrat tibi, facit voluntatem tuam. Et ſi non faciat ad horam, faciet tamen. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet illos.* Vides ad hoc exaudire Medicum, ut ſalvos faciat. Quando hoc? Audi Apoſtolum dicentem: *Spe enim ſalvi facti ſumus: ſpes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: ſi autem, quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus*; ſalutem ſcilicet, quam dicit Petrus *paratam revelari tempore noviſſimo.*

Pſal. 141. Pſal. 61. Serm. 217. Pſal. 144. Matth. 5. Job 1. Rom. 8. 1. Petri 1.

Juſti gratiæ incrementum, ac vitam æternam oratione ſua merentur.

Gratiæ incrementum, ac vitam æternam oratione ſua merentur Juſti, quamvis ea non ſemper, aut ſtatim impetrent, quæ pro ſe, vel pro aliis poſtulant. Unde *Tertullianus*, Apologetici c. 30. *Hæc* (inquit) *ab alio orare non poſſum, quam a quo ſcio me conſecuturum, quoniam & ipſe eſt, qui ſolus præſtat, & ego ſum, cui impetrare debetur, famulus ejus, qui eum ſolus obſervo, qui propter diſciplinam ejus occidor, qui ei offero optimam, & majorem hoſtiam, quam ipſe mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam.* Semper autem, aut ſtatim non impetrant Juſti, quod ſupplices a Deo poſtulant, vel quia ipſis non expedit, vel quia, *Ut congruo dentur tempore, differuntur* (inquit *S. Auguſtinus*) vel quia impedimentum eſt ex parte illorum, quibus gratiam, ac ſalutem æternam adprecantur. Unde idem Sanctus Doctor ſubdit ibidem, ſcilicet Tractatu 102. in *Joannem*, ita intelligendum eſſe, quod ait Chriſtus, *Si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis*; ut ea beneficia ſignificata ſciantur his verbis, quæ ad eos, qui petunt, proprie pertinent. *Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuslibet aliis: quia non utcunque dictum eſt,* Dabit, *ſed* Dabit vobis.

Joan. 16.

Secundus Orationis gradus eſt peccatorum ex fide, & compunctione orantium.

II. Orationis gradus alter eſt eorum, qui mortiferis peccatis oppreſſi, fide tamen ea, quæ mortua dicitur, & informis, ſeſe erigere nituntur, & ad Deum aſcendere: ſed propter intermortuas vires, ſummamque fidei imbecillitatem, ſe altius a terra tollere non poſſunt. Verumtamen peccata ſua cognoſcentes, eorumque conſcientia, & dolore compuncti, ac pœnitentes, humiliter, ac demiſſe veniam, & pacem a Deo implorant. Horum orationes exaudiuntur, non quidem ex juſtitia, quia id non merentur, ſed ex mera miſericordia: modo tamen *pro ſe* petant *neceſſaria ad ſalutem, pie, & perſeveranter*; (inquit *S. Th.* 2. 2. q. 83. art. 16.) Illos miſericors Deus, qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores, amantiſſime invitat: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ex horum numero fuit Publicanus ille, qui oculos ad cœlum tollere non auſus, in remotiori Templi parte orabat dicens; *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Deſcendit autem in domum ſuam juſtificatus magis quam Phariſæus. Publicanus de longinquo ſtabat, & Deo tamen ipſe propinquabat. Cordis conſcientia removebat, pietas applicabat. De longinquo ſtabat, ſed Dominus eum de propinquo attendebat. *Excelſus* enim *Dominus, & humilia reſpicit: Excelſus* autem, qualis erat Phariſæus, *a longe cognoſcit.* Oculos ſuos ad cælum tollere non audebat Publicanus pœnitens, ibi cor habebat: ut aſpiceretur, non aſpiciebat: premebat conſcientia, ſpes ſublevabat. Percutiebat pectus ſuum. Pœnas de ſe ipſo exigebat: propterea Dominus confitenti parcebat. *Domine*, inquit, *propitius eſto mihi peccatori.* Deus ignoſcit, quia ipſe ſe agnoſcit. Verba ſunt *S. Auguſtini*, Serm. 115. alias 36. *De Verbis Domini*, & Serm. 290. alias 44. inter Homilias 50.

Matth. 11. Lucæ 18. Pſalm. 137.

Quod autem dicitur Joan. 9. *Scimus, quia peccatores Deus non audit*, verbum eſt Cæci nondum illuminati, ut *S. Aug.* ait Tract. 44. in Joannem. Quanquam peccatores Deus non audit, quatenus peccatores ſunt, & in affectu peccati perſeverant, vel cum eorum poſtulatio interpres eſt concupiſcentiæ, non pœnitentiæ. Unde *S. Jacobus* ait: *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Si quis, v. gr. inimico ſuo iratus, facultatem, & opportunitatem ultionis a Deo poſtulet, non exauditur; aut ſi exauditur, pœna peccati eſt juſto Dei judicio irrogata, ut in nova peccata ruere permittatur.

Tertius orationis gradus eſt infidelium, Dei, ac veræ Religionis cognitionem deſiderantium & quærentium.

III. Orationis gradus eſt eorum, qui nondum fidei lucem acceperunt, ſed tamen gratiam Dei illuminantis omnem hominem venientem in hunc Mundum ipſos uberius prævenientе, & vehementius excitante, ad ſtudium veritatis accenduntur: quam ut cognoſcant, & doceantur, aſſiduis, ferventibuſque precibus a Deo petunt. Horum oratio eſt a Spiritu Sancto, nondum quidem inhabitante, ſed movente, nec eam repellit Deus, qui miſericordiæ ſuæ fontes nemini ex animo illuminationem tenebrarum ſuarum petenti occludit. Teſtis eſt Cornelius Centurio, cujus orationes eleemoſynis ſuffultas audivit Deus, a quo monitus eſt per Angelum, ut Petrum Apoſtolum vocaret, qui ipſum in Chriſtiana Religione inſtituit, & baptizavit. Quod orabat, inchoatio quædam erat fidei, conceptioni ſimilis, ex gratiæ prævenientis dono procedens, verumtamen non ſolum concipi, ſed naſci opus eſt ad ſalutem, ideo miſſus eſt Petrus, qui *Cornelium* in Chriſto parturiret.

Act. 10.

Poſtremus orationis gradus eſt peccatorum in ſuis peccatis perſeverantium.

IV. Poſtremus orationis gradus eſt eorum, qui cum in peccatis non ſolum perſeverent, ſed novis in dies flagitiis menſuram ſuam cumulent, & bibant ſicut aquam iniquitatem, veniam tamen peccatorum ſæpe a Deo poſtulare audent. Horum oratio a Deo non auditur. Sic enim de Antiocho ſcriptum eſt: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Et Iſaiæ 1. *Cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Animo ſcilicet non orant, ſed labiis duntaxat, ut vere de illis intelligatur Salvatoris Sententia: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe eſt a me.* Unde tantum abeſt, ut oratione veniam impetrent peccati, ut etiam ipſa oratio ſit illis in peccatum. Quamobrem Chriſtus Joan. 15. ait: *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Et 1. Joann. 3. *Quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam Mandata ejus cuſtodimus.* Hinc *Tertull.* Lib. *De Oratione*, cap. 10. Orationi injungendam eſſe ait memoriam, ſive obſervantiam divinorum præceptorum, *Ne quantum a præceptis, tantum ab auribus Dei longe ſimus. Memoria præceptorum viam orationibus ſternit ad cœlum, quorum præcipuum eſt, ne prius aſcendamus ad Dei Altare, quam, ſi quid diſcordiæ, vel offenſæ cum fratribus contraxerimus, reſolvamus. Quid eſt enim ad pacem Dei accendere ſine pace? ad remiſſionem debitorum cum retentione. Quomodo placabit Patrem iratus in fratre?... Quam autem temerarium eſt, aut diem ſine oratione tranſigere, dum ceſſas fratri ſatisfacere, aut orationem perſeverante iracundia perdere? Nec ab ira ſolummodo, ſed omni omnino confuſione animi libera debet eſſe orationis intentio, de tali ſpiritu emiſſa, qualis eſt Spiritus, ad quem mittitur. Neque enim agnoſci poterit a Spiritu Sancto ſpiritus inquinatus, aut triſtis a læto, aut impeditus a libero. Nemo adverſarium recipit, nemo niſi comparem ſuum admittit. Ceterum, quæ ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente orationem ſubire? Quando & ipſis manibus ſpirituales munditiæ ſint neceſſariæ, ut a falſo, a cæde, a ſævitia, a veneficiis, ab idololatria, ceteriſque maculis, quæ ſpiritu conceptæ manuum opera tranſiguntur, puræ alleventur.* Quo ſpectat illa Apoſtoli ſententia: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira, & diſceptatione.*

Illorum non exauditur oratio.

2. Mach. 9. Matth. 15. 1. Tim. 2.

Affectus peccati ante orationem deponendus.

V. Quamobrem præparandus eſt ad orationem animus, in primiſque affectus peccati deponendus eſt. *Ante orationem* (inquit Sapiens) *præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Hujus autem præparationis caput eſt dolere de peccatis. Unde Propheta ait: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Job cap. 11. dicitur: *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris a te, & non manſerit in tabernaculo tuo injuſtitia: tum levare poteris faciem tuam abſque macula, & eris ſtabilis, & non timebis.* Iniquitas in manu, eſt culpa in opere. Injuſtitia in tabernaculo iniquitas in mente. Quæ duo ſi perfecte tergimus, ad Deum ſtatim ſine macula faciem elevamus. Interna quippe facies hominis mens eſt, in qua recognoſcimur, ut ab Auctore noſtro diligamur. *Quam ſcilicet faciem levare, eſt in Deo animum per ſtudium orationis attollere. Sed elevatam faciem macula inquinat, ſi intendentem mentem reatus ſui conſcientia accuſat, quia ab ſpei fiducia protinus frangitur, ſi intenta precibus, nec dum devicta culpæ memoria mordetur. Diffidit namque accipere ſe poſſe, quod appetit, quæ profecto reminiſcitur nolle ſe adhuc facere, quod divinitus audivit. Hinc per Joannem dicitur*: Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, & quidquid petierimus ab eo, accipiemus. *Hinc Salomon ait*: Qui avertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. *Cur quippe nos in petitione reprehendit, cum reſiſtere ſe præceptis ejus, quem poſtulat, meminit, & oratio fit execrabilis, cum a cenſura avertitur legis: quia dignum profecto eſt, ut ab ejus beneficiis ſit quiſque extraneus, cujus juſſionibus non vult eſſe ſubjectus. Quæ in re hoc eſt ſalubre remedium, ut cum ſe mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat, quod erravit: quatenus cum erroris macula fletibus tergitur, in petitione ſua cordis facies ab Auctore munda videatur. Sed curandum eſt, ne ad hoc rurſus proruat, quod ſe mundaſſe fletibus exultat; ne dum deplorata iterum culpa committitur in conſpectu juſti Judicis ipſa etiam lamenta lævigentur. Solerter quippe debemus meminiſſe, quod dicitur*: Ne iteres verbum in oratione tua. *Quo dicto Vir Sapiens nequaquam nos prohibet ſæpe veniam petere, ſed culpas iterare. Ac ſi aperte dicat*: Cum male geſta defleveris, nequaquam rurſus facias, quod in precibus iterum plangas. *Ut ergo ad precem facies ſine macula levetur, ante orationis ſemper tempora debet ſollicite conſpici, quidquid poteſt in oratione reprobari, talemque ſe mens, & cum ab oratione ceſſat, exhibere feſtinet, qualis apparere judici in ipſo orationis tempore exoptat... Sed quid hac doloris macula reperiri deterius poteſt, quæ in conſpectu Judicis caritatem non inquinat, ſed necat? Vitam quippe animæ quælibet culpa polluit, ſervatus vero contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius figitur, & mucrone illius ipſa viſcerum occulta perforantur. Qui ſcilicet a tranſfixo corde ſi prius non educitur, nihil in precibus divinæ opis obtinetur. Hinc Veritas dicit*: Niſi remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, remittet vobis peccata veſtra. *Hinc admonet dicens*: Cum ſtatis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis adverſum alterum. *Hinc rurſum ait*: Date & dabitur vobis. Dimittite, & dimittetur vobis. *Hinc contra inſtitutionem poſtulationis, conditionem poſuit pietatis dicens*: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: *Ut bonum, quod a Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo converſi faciamus. Tunc igitur vere ſine macula faciem levamus, cum nec nos prohibita mala committimus, nec ea, quæ in nos a proximis commiſſa ſunt, ex proprio zelo retinemus.* S. Greg. Lib. 10. *Moralium* cap. 11.

Eccli. 18. Pſal. 65. S. Greg. M lib. 10. Mor. c. 41. 1. Joan. 3. Prov. 28. Eccli. 7. Matth. 6. Lucæ 6. Matth. 6.

Abſque Divini Amoris inchoati ſaltem affectu inanis eſt oratio. *Nam Amore petitur, amore quæritur, amore pulſatur, amore revelatur, amore denique in eo, quod revelatum fuerit, permanetur*, inquit *S. Aug.* Lib. *De Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, cap. 17.

ARTICULUS VI.

Quæ in Oratione a Deo petenda ſint.

Deum, ut ſummum bonum noſtrum, ejuſque fruitionem primum petere in oratione debemus.

QUidquid juſtum, & honeſtum eſt, a Deo petere licet, *Quodcunque volueritis* (inquit Chriſtus,) *petetis, & fiet vobis.* Omnia ſe conceſſurum pollicetur, quæ quidem nobis accipere conveniens fuerit. Verum hic ordo in bonis, quæ petere debemus, aut poſſumus, ſervandus eſt, ut ea bona primum petamus, quibus nemo male uti poteſt, & quæ malum eventum habere non poſſunt, ſcilicet Deum ſummum bonum noſtrum, ejuſque fruitionem, qua una beati eſſe poſſumus: *Fons enim noſter beatitudinis ipſe eſt omnis appetitionis finis*, adeoque & orationis: tum gratiam, & virtutes omniaque dona ſpiritualia, quibus beatitudinem meremur, & ad ipſam perducimur. Quæ quidem abſolute petere poſſumus, ac debemus, ſecundum illud Pſal. 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*, & Pſalm. 118. *Deduc me, Domine, in ſemitam Mandatorum tuorum.* Quamvis autem homo per ſe neſciat, quid ſit a Deo poſtulandum, tamen Spiritus Sanctus adjuvat infirmitatem noſtram, nobiſque inſpirando ſancta deſideria recte poſtulare nos facit. Cum autem orando petimus ea, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, voluntatem noſtram divinæ voluntati accomodamus, ſiquidem *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri*: &, *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio noſtra.*

Joan. 15.

S. Auguſt.

Gratia, & virtutes a Deo abſolute petendæ.

2. Tim. 2. 1. Joan. 5.

Temporalia bona non primario, ac præcipue petenda.

Temporalia autem, & externa bona petere quidem licet, non tamen primario, ac præcipue, ut in eis finem conſtituamus, utque in eis requieſcamus, ſed ut adminicula quædam, quibus juvemur, ut ad beatitudinem tendamus, quatenus ſcilicet per ea vita corporis ſuſtentatur, nobiſque inſtrumenta ſunt ad actus virtutum exercendos. Unde Salomon ſic Deum præcabatur: *Tribue tantum victui meo neceſſaria.* Et Apoſtolus præcipit divitibus hujus ſæculi, *Non ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Hinc *S. Auguſt.* Epiſt. 130. alias 121. cap. 6. & 7. explicans hæc verba Apoſtoli. *Eſt quæſtus magnus pietas cum ſufficientia*, &c. ait: *Hanc ergo ſufficientiam non indecenter vult, quiſquis vult, nec amplius vult: alioquin non ipſum vult, nec ideo decenter vult. Hanc optabat, & pro hac orabat, qui dicebat, Divitias, & paupertatem ne dederis mihi: Conſtitue autem mihi, quæ neceſſaria ſunt ſufficienter*, &c. Vides certe quod iſtam *ſufficientiam non appetit propter ſeipſam, ſed propter ſalutem corporis, & congruentem habitum perſonæ hominis, quo habitu non ſit inconveniens eis, cum quibus honeſte, officioſeque vivendum eſt. In his itaque omnibus incolumitas hominis, & amicitia propter ſe ipſa appetuntur: ſufficientia vero rerum neceſſariarum non propter ſeipſum, ſed propter duo ſuperiora quæri ſolet, cum decenter quæritur... Iſta cum habentur, ut teneantur, cum autem non habentur, ut habeantur, orandum eſt. Hoccine totum, & hæc ſunt omnia, quibus beata ſumma vita colligitur, an aliquid aliud Veritas docet, quod his omnibus præferatur? Nam & illa ſufficientia, & ipſa incolumitas vel propria, vel amicorum, quamdiu temporalis eſt, pro æterna vitæ adeptione abjicienda eſt: quanquam fortaſſe corpus, Animus vero nullo modo ſanus exiſtimandus eſt, qui non temporalibus æterna præponit. Neque enim in tempore utiliter vivitur, niſi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur. Ad illam ergo unam vitam, quæ cum Deo, & de Deo vivitur, cetera, quæ utiliter, & decenter optantur, ſine dubio referenda ſunt. In eo quippe noſmetipſos diligimus, ſi Deum diligimus: & ex alio præcepto proximos noſtros, ſicut noſmetipſos, ita vere diligimus, ſi eos ad Dei ſimilem dilectionem, quantum in nobis eſt, perducamus. Deum igitur diligimus propter ſe ipſum, & nos; ac proximos propter ipſum; nec cum ita vivimus, jam nos in ipſa beata vita conſtitutos exiſtimemus, quaſi nihil ſit amplius, quod oremus. Quomodo enim jam beate vivimus, cum illud adhuc deſit, propter quod unum bene vivimus? Ut quid ergo per multa diſpergimur, & quærimus, quid oremus, ac non potius cum Pſal. dicimus*: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut contempler delectationem Dei, & viſitem templum ejus. *Ibi namque omnes dies non veniendo, & tranſeundo fiunt omnes, nec initium alterius eſt finis alterius; omnes ſine fine ſimul ſunt, ubi nec ipſa vita habet finem, cujus illi dies ſunt. Propter hanc adipiſcendam vitam beatam ipſa vera Vita Beata nos orare docuit.* Primo igitur optandum, quærendum, orandum eſt, ut obtineamus Regnum Dei, & juſtitiam ejus: temporale vero quodcunque bonum poſterius quærendum eſt, & petendum; *Illud tanquam bonum noſtrum; hoc tanquam neceſſarium noſtrum*; (ut loquitur *S. Aug.* Lib. 2. *De Serm. Domini in Monte*, cap. 16.) Neceſſarium noſtrum appellat propter ſtatum hujus vitæ mortalis: alioqui neceſſarium noſtrum vere, ac ſimpliciter ſalus æterna eſt, ſecundum illud oraculum Salvatoris noſtri: *Unum eſt neceſſarium.* Quod idem S. Doctor explicans Serm. 103. alias 26. *De Verbis Domini*, ait: *Unum eſt neceſſarium, unum illud ſupernum, ubi Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt unum.*

Prov. 30. 1. Tim. Prov. 30. Pſ. 26. 5.

Propter adipiſcendam vitam beatam, Chriſtus nos orare docuit. Regnum Dei quærendum & petendum eſt tanquam bonum noſtrum.

Luc. 10.

unum. Ad hoc unum non nos perducit, niſi multi ha-mus, cor unum.

Externa & temporalia bona ſub conditione petenda.

Externa denique, & corporis bona, quin etiam & ingenii bona, atque ornamenta, petenda non ſunt niſi hac adjuncta conditione, ſi nobis ad Dei gloriam, & ad æternam ſalutem profutura ſint: ne illo reſponſo a Domino repellamur: *Neſcitis quid petatis*. In Nomine Chriſti petere debemus, quicquid petimus. *Quicquid* (inquit) *petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis*. Porro (inquit *S. Aug.* Tractatu 73. in Joan.) *Quodcunque petimus adverſus utilitatem ſalutis, non petimus in nomine Salvatoris. Et tamen ſe Salvator eſt, non ſolum quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra ſalutem, non faciendo, potius ſe exhibet Salvatorem. Novit enim Medicus, quid pro ſua, quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus; & ideo contraria poſcentis non facit voluntatem, ut faciat ſanitatem*. Et infra: *Petimus, quando non petimus, ut non faciat quod non bene petimus. Quia & ad hoc pertinet, quod in Oratione Dominica dicitur*, Ne nos inferas in tentationem. *Neque enim parva eſt tentatio, ſi contra tuam cauſſam ſit tua poſtulatio*. Huc etiam pertinet quod ait Chriſtus, Joan. 16. *Uſque modo non petiſtis quidquam in Nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum*. Hoc quod dicit gaudium plenum, profecto non carnale, ſed ſpirituale gaudium eſt: & quando tantum erit, ut aliquid ei jam non ſit addendum, procul dubio tunc erit plenum. *Quicquid ergo petitur, quod pertinet ad hoc gaudium conſequendum, hoc eſt in Nomine Chriſti petendum, ſi divinam intelligimus gratiam, ſi vere beatam poſcimus vitam. Quicquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla omnino res, ſed quia in tantæ rei comparatione quicquid aliud concupiſcitur, nihil eſt.*

Matt. 10. Joan. 15. Chriſtus ſe exhibet Salvatorem, negando quod petitur contra ſalutem.

A Deo exauditur, qui in oratione petit quicquid nos cum ipſo conjungit, & ad Deum perducit. Pſal. 86. Prov. 1. Deum invocare, eſt ipſum unum ut finem ſuum ultimum deſiderare.

Qui Deum quærit, deſiderat ejus fruitionem, & quicquid nos cum ipſo conjungit, atque ad ipſum perducit, in oratione poſtulat, ab illo exauditur. *Quoniam tu, Domine, ſuavis & mitis, & multa miſericordia omnibus invocantibus te* (inquit Propheta) Quid eſt itaque, quod alibi ait Deus; *Invocabunt, & non exaudiam eos?* Niſi quia quidam invocantes non ipſum invocant, de quibus dicitur, *Deum non invocaverunt*. Invocant, ſed non Deum (inquit *S. Aug.* Enarrat. in Pſ. 85.) *Invocas quicquid amas: invocas quicquid ad te vocas, invocas quidquid vis, ut veniat ad te. Porro ſi Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hæreditas; ut veniat ad te ſæcularis dignitas, illa invocas, quæ vis, ut veniat ad te: ſed Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem deſideriorum. Deus bonus, ſi det, quod vis. Quid ſi male vis, nonne erit magis non dando miſericors?* Porro ſi non dederit, jam nihil tibi Deus eſt, & dices quantum rogavi, quam ſæpe rogavi, & non ſum exauditus? Quid enim petebas? Forte mortem inimici tui. Quid ſi & ille petebat tuam? Qui te creavit, ipſe & illum; homo es, homo eſt & ille: Deus autem Judex eſt; audit ambos, & non exaudit ambos. Triſtis es, quia non es exauditus contra illum; gaude, quia non es exauditus contra te. Ego, inquis, non hoc petebam; non inimici mei petebam mortem, ſed vitam petebam filii mei. Quid mali petebam? Nihil mali petebas, ſicut tu ſentiebas. Quid ſi ille raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum illius? Sed peccator, inquis, erat, & volebam eum vivere, ut corrigeretur. Quid ſi Deus noverat, ſi viveret, pejorem futurum? Unde ergo noſti, quid illi prodeſſet, mori, an vivere? Si ergo non noſti, redi ad cor tuum, dimitte Deo conſilium tuum. Quid ergo, inquis, faciam? Quid orem? Quid ores? Quod te docuit Dominus. *Invoca Deum tanquam Deum, ama Deum tanquam Deum: illo melius nihil eſt: ipſum deſidera, ipſum concupiſce... Si invocas Deum tanquam Deum, ſecurus eſto, exaudiris.*

Pſal. 36.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui; (inquit idem Propheta.) *Diſcerne petitiones cordis tui a petitionibus carnis* (inquit *S. Aug.* Enarratione in hunc Pſal. Serm. 1.) Non fruſtra dictum eſt in alio Pſalmo, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Aliquis cæcus eſt corpore, rogat ut illuminetur. Iſta rogat, quia & iſta Deus facit, & iſta Deus præſtat: ſed rogant hæc etiam mali. Petitio hæc carnis. Infirmatur, rogat ſe ſalvum fieri: cum ſalvus ſit moriturus. Et iſta petitio carnis, & ſi qua ſunt talia. Petitio cordis quæ eſt? Sicut petitio carnis eſt velle ſibi reparari oculos, utique ad videndam illam lucem, quæ talibus oculis videri poteſt, ita petitio cordis ad aliam lucem pertinet. *Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Ad Dominum igitur clamemus, ſed propter ipſum, ſi exaudiri volumus. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi*. Multi clamant ad Dominum pro divitiis acquirendis, damniſque evitandis, pro ſuorum ſalute, pro ſtabilitate domus ſuæ, pro felicitate temporali, pro dignitate ſæculi; poſtremo pro ipſa etiam ſalute corporis, quæ patrimonium eſt pauperis. *Pro his, atque pro hujuſmodi rebus, multi clamant ad Dominum; vix quiſquam propter ipſum Dominum. Facile quippe homini eſt quodlibet deſiderare a Domino, & ipſum Dominum non deſiderare: quaſi vero ſuavius eſſe poſſit, quod dat, quam ipſe qui dat.* Voce mea ad Deum, & intendit mihi. *Vere tunc tibi attendit, quando ipſum quæris, non quando per ipſum aliud*

Pſal. 72. Matth. 4. Pſal. 72. Pſal. 17.

quæris. Dictum eſt de quibuſdam: *Clamaverunt, nec erat qui ſalvos faceret ad Dominum, nec exaudivit eos*. Quare? *Quia vox eorum non ad Dominum*. De his alio loco dicitur: *Dominum non invocaverunt*. Ideſt *Dominum in ſe non vocaverunt: Ad cor ſuum Dominum non invitaverunt, a Domino ſe habitari noluerunt*. Et ideo quid eis contigit? *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Ideo de rerum præſentium amiſſione tremuerunt, quoniam non erant pleni illo, quem non invocaverunt. Non gratis amaverunt, ut amiſſis temporalibus rebus poſſent dicere*, SICUT *Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum*. Sic diſſerit *S. Aug.* Enarr. in Pſ. 76. *In his ergo temporalibus. Fratres, non petatis aliquid quaſi fixum, ſed quod vobis Deus expedire ſcit. Quid enim vobis expediat, omnino neſcitis. Aliquando quod putatis prodeſſe, obeſt; & quod putatis obeſſe, hoc prodeſt. Ægri enim eſtis: nolite Medico dictare, quæ vobis medicamenta velit apponere*. Si Doct. Gentium Apoſt. Paulus dicit, *Quid enim oremus ſicut oportet, neſcimus*: quanto magis nos? Qui tamen cum ſibi videretur ipſe prudenter orare, ut ab eo auferretur ſtimulus carnis, angelus ſatanæ, qui eum colaphizabat, ne in magnitudine revelationum extolleretur, quid audivit a Domino? Nunquid factum eſt quod volebat? Non, ut fieret, quod expediebat. Quid ergo audivit a Domino? *Ter*, inquit, *rogavi Dominum ut auferret eum a me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*. Ego medicamentum ad vulnus poſui: quando poſuerim, novi, quando auferendum ſit, novi. *Non recedat ægrotus a manibus Medici, non det conſilium Medico. Ita ſunt iſta omnia temporalia. Tribulationes ſunt; ſi bene colis Deum, noveris, quia novit, quid cuique expediat: Proſperitates ſunt; magis cave ne ipſa corrumpant Animum tuum, ut ab eo, qui hæc dedit recedat*. Verba ſunt *S. Aug.* Enarr. in Pſal. 53.

Pſal. 13. In temporalibus id tantum petendum quod nobis Dominus expedire novit. Rom. 8. 2. Cor. 12.

Caſtus, & purus amor nihil a Deo abſolute petit præter ipſum, & quæ nos cum ipſo conjungunt & ad illum perducunt.

Nihil a Deo petendo in oratione, præter ipſum, & quæ nos cum ipſo conjungunt, & ad illum perducunt, probamus nos ipſum gratis amare, ut debemus, dicendo cum Propheta: *Voluntarie ſacrificabo tibi*. Quod porro Sacrificium offeremus, niſi quod ait: *Sacrificium laudis honorificabit me?* Quare ergo voluntarie? Quia gratis amo, quod laudo. Deus noſter laudetur voluntate, ametur caritate, gratuitum ſit, quod amatur, & quod laudatur. Quid eſt gratuitum? Ipſe propter ſe, non propter aliud. *Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum: Erubeſceres, ſi te uxor tua propter divitias amaret; & forte ſi tibi paupertas accederet, de adulterio cogitaret. Cum ergo te a conjuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis?* Quod præmium accepturus es a Deo, o avare? Non tibi terram, ſed ſe ipſum ſervat, qui fecit cœlum, & terram. *Voluntarie ſacrificabo tibi*. Noli ex neceſſitate laudas. Si enim propter aliud laudas Deus; & ex neceſſitate laudas. Si adeſſet tibi, quod amas, non laudares Deum... Contemne omnia, ipſum attende. Et hæc, quæ dedit, propter dantem bona ſunt. Nam dat prorſus, dat iſta temporalia, & quibuſdam bono eorum, quibuſdam malo eorum, ſecundum altitudinem, & profunditatem judiciorum ſuorum. Novit quando det, cui det, quando auferat, & cui auferat. *Pete tu in hoc tempore, quod tibi proſit inpoſterum, pete quod te adjuvet in æternum. Ipſum autem gratis dilige: quia melius ab eo non invenis, quod det, quam ſe ipſum;* (inquit *S. Aug.* Enarr. in Pſal. 53.) Illa igitur duntaxat petenda ſunt a Deo, quæ illius voluntati probata, & accepta ſunt. *Quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus* (inquit S. Joan.) *audit nos: Hæc eſt autem voluntas Dei ſanctificatio noſtra*,

ARTICULUS VII.

Pro quibus orandum ſit.

I. ORationes *Pro omnibus hominibus* Deo offerendas, Apoſtolus docet, quia *Hoc bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Orandum igitur eſt pro omnibus, ſine ulla exceptione, vel inimicitiarum, vel gentis, vel religionis: nam ſive hoſtis ſit, ſive alienus, ſive infidelis, tamen proximus eſt, quem Dei juſſu amare debemus. *Amicitia* (inquit S. Aug.) *non anguſtis finibus terminanda eſt; omnes enim, quibus amor, & dilectio debetur, amplectitur, quamvis in alios propenſius, in alios ſuſpenſius inclinetur: pervenit autem uſque ad inimicos, pro quibus etiam orare præcipimur. Ita nemo eſt in genere humano, cui non dilectio, etſi non pro mutua caritate, pro ipſa tamen communis naturæ ſocietate debeatur*. Hujus autem amoris officium eſt oratio, qua omnibus hominibus animæ primum ſalutem, deinde corporis, a Deo debemus adprecari.

1. Tim. 2. Pro omnibus hominibus orandum. Ep. 170. alias 128. cap. 7.

II. Hoc autem caritatis officium debemus in primis Paſtoribus, qui pervigilant quaſi rationem pro animabus noſtris reddituri, & qui quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo majori verſantur. Unde S. Paulus Coloſſenſium orationibus ſe commendat. *Orationi*, inquit, *inſtate, vigilantes in ea gratiarum actione: orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum Myſterium Chriſti*. Cum etiam S. Petrus in carcerem Herodis juſſu conjectus eſſet, *Oratio fiebat ab Eccleſia ſine intermiſſione pro eo*. Unde S. Aug.

Orandum in primis pro Paſtoribus. Coloſſ. 4.

Actor. 12.

S. Aug. Epiſt. 130. ad *Probam* ſcribit. *Sane memineritis, & pro nobis non negligenter orare. Nolumus enim ſic honorem, quem periculoſum gerimus, deferatis, ut adjutorium, quod neceſſarium novimus, auferatis. A familia Chriſti oratum eſt pro Petro, oratum eſt pro Paulo: & vos in ejus familia eſſe gaudemus, & incomparabiliter plus quam Petrus, & Paulus, orationum fraternarum auxiliis indigemus.*

1. Tim. 2. Orandum pro Principibus. Baruch. 2.

III. Secundo loco fundendæ ſunt ad Deum preces *Pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate*. Unde Judæi apud Babylonios captivi ad eos, qui Hieroſolymis remanſerant, hunc in modum ſcripſere: *Orate pro vita Nabuchodnoſor Regis Babylonis, & pro vita Baltaſſar filii ejus, ut ſint dies eorum, ſicut dies cœli ſuper terram: & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub umbra Baltaſſar filii ejus, & ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum*. Hinc *Tertull.* Apologetici, Cap. 30. *In cœlum*, inquit, *ſuſpicientes, manibus expanſis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæſaris vota ſunt*. Et Lib. *Ad Scapulam*, Cap. 2. *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, ut & ipſum diligat, & revereatur: & honoret, & ſalvum velit cum toto Romano Imperio, quouſque ſæculum ſtabit, tandiu enim ſtabit ... Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius, ſed quomodo præcepit Deus, pura prece.*

Orandum pro piis quibuſque hominibus. 2. Cor. 12.

IV. Tertio pro piis quibuſque hominibus orandum eſt, ut illis gratiarum, virtutumque incrementum, & donum perſeverantiæ Deus tribuat. Qui enim theſaurum gratiæ *in vaſis fictilibus* habent, & in via lubrica undique ab hoſtibus obſeſſa ambulant, hi maxime precibus indigent aliorum, & quamvis nobiliora ſint Eccleſiæ membra, reliquis tamen dicere non poſſunt: *Opera tua non indigeo*. Quod quidem divinitus factum eſt ad expugnandam ſuperbiam, quæ etiam in recte factis cavenda eſt: dum intelligunt ſibi inferiorum ſuffragiis opus eſſe ad impetrandam gratiæ conſervationem, & nova auxilia identidem neceſſaria, ne pereant de via juſta.

Pro inimicis etiam noſtris orandum. Matth. 5.

V. Pro inimicis etiam noſtris orandum eſt Chriſti præcepto. *Orate*, inquit, *pro perſequentibus vos*. Unde *Tertull.* *in Apologet.* Cap. 31. *Scitote*, inquit, *præceptum eſſe nobis, ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & perſecutoribus noſtris bona precari*. Bonum eſt, & orare debemus, ut nos Deus eruat de manibus inimicorum noſtrorum. „ Sed intelligendi ſunt inimici, pro quibus orandum ſit, & contra quos orandum ſit: Inimici homines, „ qualeſcunque fuerint, non ſunt odio habendi; ne cum „ odit malus, quem patitur malum, ſint duo mali. Diligat „ bonus, & quem patitur malum, ut vel unus ſit malus. „ Illi inimici ſunt, contra quos orandum eſt, Diabolus, & „ Angeli ejus: (inquit *S. Aug.* Enarrat. 4. in Pſalm. 30.)

Orandum pro infidelibus.

VI. Pro ipſis etiam Infidelibus, Paganis, Judæis, Hæreticis, Schiſmaticis orandum eſt: pro Infidelibus, ut fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Dei: pro Hæreticis, ut redeant ad ſanitatem Catholicæ Doctrinæ: pro Schiſmaticis, ut in Eccleſiæ matris gremium, & communionem revertantur, eique caritatis vinculo copulentur. Ex conſuetudine Eccleſiaſtica orandi pro his hominum generibus gratiæ neceſſitatem non ſolum ad opera bona, ſed etiam ad initium fidei probat S. Aug. variis in locis, præſertim vero Epiſt. 217. alias 107. ad *Vitalem* Carthaginenſem.

Pro peccatoribus omnibus orandum.

VII. Pro peccatoribus omnibus orandum eſt, ut ad Deum per veram, ac ſinceram pœnitentiam convertantur. Fuſæ tamen pro omnibus peccatoribus preces non exaudiuntur, ſed pro quibuſdam. Quod ſpectat enim æternam ſalutem, exaudiuntur pro prædeſtinatis ad Regnum cælorum, non pro reprobis ad mortem æternam præſcitis: ſicut etiam correptio fraterna prædeſtinatis, non reprobis prodeſt ad ſalutem, quia *Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit*. Ideo S. Joan. Apoſt. ait: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccantis non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis*. In iis ſcilicet, qui peccare dicuntur ad mortem, ideſt, qui veniam ipſi implorare nolunt, ſed in peccatis manent obdurati, vix quidquam precibus, votiſque proficitur, (inquit Concilii Trid. Catechiſmus.) Et illorum converſio non quibuſcunque orationibus, ſed Juſtorum tantum ſingularis meriti, & eximiæ ſanctitatis hominum, Eccleſiæque gemitibus a Deo quandoque conceditur, ut docet *S. Ambroſius*, Lib. 1. *De Pœnitentia*, Cap. 8. Verumtamen Chriſtianæ Caritatis eſt, & precari pro illis, & lacrymis contendere, ut eis placare Deum poſſimus.

Eccl. 7. 1. Joan. 5.

2. Mach. 12. Orandum pro defunctis.

VIII. Pro mortuis denique preces fundendæ ſunt, quia *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*; ideſt, a Purgatorii pœnis liberentur. De quo fidei dogmate actum eſt Lib. 2. in Tractatu de Euchariſtia. Eo autem majori caritatis affectu pro illis orare debemus, quo jam pro ſe ipſis ſatisfacere, & mereri non poſſunt, cum extra ſtatum viæ ſint conſtituti, ſive extra ſtatum vitæ præſentis, & peregrinationis, in qua meritum omne comparatur. Secundo, majori miſerationis ſenſu affici debemus ad Animas illas precibus noſtris ſublevandas, quo graviores ſunt incomparabiliter illarum pœnæ quibuſcunque iſtius vitæ cruciatibus, & tormentis, aggravata ſuper illas Dei manu, qui mirabiliter illas cruciat, tum ſuæ viſionis, ac fruitionis beatificæ mora, tum pœna ignis, qui divinæ juſtitiæ, & omnipotentiæ vi ad illas miris modis torquendas evehitur, & applicatur. Eo gravior illis eſt beatitudinis mora, quo magis Deum amant. *Quicquid enim amamus, & non habemus, neceſſe eſt, ut doleamus. Nam ille amat, & non dolet, qui habet, quod amat. Qui autem amat, & nondum habet, quod amat, neceſſe eſt, ut in dolore gemat*. Tormenta graviſſima cogita, quæ perpeſſi ſunt Martyres, longe gravior eſt Purgatorii pœna. Hic *in ira* ſua Juſtos ob leviora peccata, vel etiam ob graviora, quæ commiſerunt olim, arguit Deus; in Purgatorio illo velut *in furore* ſuo corripit. Hic Juſtos emendat ut pater: illic ipſos *emendatori igne* purgat & plectitur judex, qui quidem *ignis gravior erit, quem quidquid poteſt homo pati in hac vita*. Hic illis ipſis, quos emendat, exoratus, & placatus, amovet ſæpe ab eis plagas ſuas: illic ab iis, quos plectit, placari non poteſt, quamvis ipſum ament, & ab ejus amore ſeparari nuſquam poſſit, illoſque viciſſim caritate perpetua diligat; ſed eos in carcere duriſſimo detinet, & cruciat, donec ſolverint noviſſimum quadrantem. Placari ſolum illis poteſt Eccleſiæ, & Juſtorum in hoc Mundo adhuc peregrinantium precibus, & ſatisfactoriis operibus. Id præterea movere nos maxime debet ad ſuccurrendum Animabus illis, quod aliquibus, ut parentum, magiſtrorum, familiarium, amicorum, ſociorum, quibuſcum hoc in Mundo viximus, præbuerimus ſæpe occaſionem peccatorum, propter quæ graviſſimas in Purgatorio pœnas luunt. Illos igitur de profundis ad nos clamantes audiamus: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*. Non ſolum caritas, quam illis debemus, ad orandum pro ipſis impellere nos debet; ſed amor Dei præſertim cujus amici ſunt; caritas Chriſti, cujus membra ſunt, qui ſe pro illis rogari vult, & placari: tum etiam Angelorum, & Sanctorum hominum jam Deo fruentium amor. Eorum enim felicitati, & gaudio cumulus quidam accedet, cum Animæ juſtæ, piacularibus pœnis ſolutæ, illorum beatæ ſocietati adjungentur. Omnium etiam noſtrum, qui Chiſtiano nomine cenſemur, & gloriamur, permagni intereſt, Juſtis illis Animabus ſuccurrere: ſiquidem cum illis unum corpus ſub Chriſto Capite ſumus: & *Si patitur unum membrum, compatiuntur cetera membra*. Denique caritatis erga illos noſtræ memores, cum Deo fruentur, cauſſam noſtram apud Divinam Majeſtatem agent, noſque ad ſalutem æternam conſequendam ſuis precibus adjuvabunt.

Rationes, quæ movere nos debent ut pro illis oremus. S. Aug. Enar. in Pſal. 37. Job. 10.

ARTICULUS VIII.

Pro quibus Deo agendæ ſint Gratiæ.

Gratiæ Deo agendæ pro ejus beneficiis.

I. IN altera parte precationis, maximas Deo gratias agimus pro Divinis ejus, immortalibuſque beneficiis, quibus & ſemper affecit, & quotidie afficit humanum genus; pro beneficiis creationis, conſervationis, redemptionis, ſanctificationis, ſingulatimque pro donis ab ejus bonitate, & miſericordia collatis. Hic præcipuus Dei cultus eſt, ut docet *S. Aug.* Lib. *De Spiritu, & Littera*, Cap. 11. *Cultus Dei*, inquit, *in hoc maxime conſtitutus eſt, ut Anima ei non ſit ingrata. Unde & in ipſo veriſſimo, & ſingulari Sacrificio Domino Deo noſtro gratias agere admonemur*. Sic Deum agnoſcimus, & profitemur omnium bonorum noſtrorum Auctorem; ſic illi acceptum referimus quicquid boni habemus, operamur, volumus, aut cogitamus. Unde *S. Aug.* Lib. *De Dono Perſeverantiæ*, Cap. 13. *Quod ergo*, inquit, *in Sacramentis fidelium dicitur, ut ſurſum cor habeamus ad Dominum, munus eſt Domini: de quo munere ipſi Domino Deo noſtro gratias agere, a Sacerdote poſt hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur, & dignum, ac juſtum eſſe reſpondent. Cum enim non ſit in noſtra poteſtate cor noſtrum, ſed divino ſublevetur auxilio, ut aſcendat, & quæ ſurſum ſunt, ſapiat, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, non quæ ſuper terram: cui de hac tanta re agendæ ſunt gratiæ, niſi hoc facienti Domino Deo noſtro, qui nos per tale beneficium liberando de profundo hujus Mundi, elegit, & prædeſtinavit ante conſtitutionem Mundi?* Gratias Deo agere licet, referre non licet. Quid enim Domino retribuere poſſumus, pro omnibus, quæ tribuit nobis? Nihil de noſtro habemus, niſi mendacium, & peccatum; nihil divinæ Majeſtati offerre poſſumus, niſi de ipſius donis, ac datis. Ipſa gratiarum actio donum illius eſt. Nobis tamen auxilium ejus deeſt, quo gratias immenſæ illius benignitati agere poſſimus. Vitium noſtrum eſt, quod non agamus. Multos, heu, videmus ſatis importune petentes, quod ſibi deeſſe cognoverint: ſed paucos admodum novimus, qui dignas de acceptis beneficiis gratias agere videantur. Nec reprehenſibile eſt, quod inſtanter petimus; *Sed plane petitioni negat effectum, quod invenimur ingrati. Et forte hoc etiam clementiæ eſſe videtur, ingratis negare, quod poſtulant, ne contingat nobis, ut tanto gravias de ingratitudine judicemur,*

Ipſa gratiarum actio donum Dei eſt. Multi importune petunt, quod ſibi deeſt, pauci gratias agunt.

mur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitiſſe. Ergo miſericordiæ res eſt in hac parte ſubtrahere miſericordiam, quemadmodum iræ, & indignationis, miſericordiam exhibere, eam ſane, de qua per Prophetam ipſe Pater Miſericordiarum loquitur dicens, Miſereamur impio, & non diſcet facere juſtitiam ∴ *Felix Samaritanus ille, qui cognovit ſe nihil habere, quod non accepiſſet, & idcirco ſervavit depoſitum, & cum gratiarum actione ad Dominum eſt reverſus. Felix, qui ad ſingula dona gratiæ redit ad eum, in quo eſt plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora adhuc accipere mereamur. Omnino enim ſola nos a profectu converſationis impedit ingratitudo noſtra, dum quodammodo amiſſum reputans Dator, quod ingratus accepit, cavet ſibi de cetero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato. Felix proinde, qui ſe alienigenam reputans, etiam pro minimis quibuſque beneficiis non minimas refert grates, gratuitum eſſe non dubitans, neque diſſimulans, quod alieno impenditur, & ignoto.* Verba ſunt *S. Bernardi*, Serm. 27. *De Diverſis*. Sed & ante ipſum *S. Aug.* Serm. 283. alias *De Diverſis* 42. *Melior eſt*, inquit, *incomparabiliter Deo gratias agens de parvo, quam ſe extollens de magno. Illum enim, qui de parvo gratias agit, ad magnum Deus admittit: qui autem de magnis gratias non agit, & quod habet, amittit.* Qui enim habet, dabitur ei: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. *Quomodo autem non habet, ſi habet? Non habens habet, quia neſcit, unde habeat. Tollitur enim a Deo res ſua; & remanet illi iniquitas ſua.*

[Margin: Iſai. 26. Luc. 17. — Locum in nobis facimus amplioris gratiæ, ſi acceptæ non ſimus ingrati. — Qui de magnis gratias non agit, & quod habet ammittit. — Matt. 13. 18.]

[Margin: Gratiæ Deo agendæ ob dona Sanctis ab illo collata.]

II. Maxime autem fungi debemus hoc munere gratiarum actionis Sanctorum omnium cauſſa, Deum laudantes de illorum victoriis, & triumphis. Sanctorum laudes in Deum refunduntur, quem in Sanctis ejus laudamus, cui ob dona illis collata gratias agimus. Unde *S. Aug.* Serm. 213. alias *De Diverſis* 114 in Natali *S. Cypriani Martyris* 5. ait: *Quid niſi Dei ſunt laudes, tanti Martyris laudes? aut cujus honor eſt Cyprianus ad Deum toto corde converſus, niſi ejus cui dictum eſt*, Deus virtutum converte nos? *Cujus opus eſt Cyprianus Doctor, niſi ejus cui dictum eſt*; Doce me juſtificationes tuas? *Cujus opus eſt Cyprianus Paſtor, niſi ejus, qui dixit*, Dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos cum diſciplina? *Cujus opus eſt Cyprianus Confeſſor, niſi ejus, qui dixit*, Dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere inimici veſtri? *Cujus opus eſt Cyprianus tanta illius perſecutionis pro veritate perpeſſor, niſi ejus cui dictum eſt*, Patientia Iſrael, Domine; *& de quo dictum eſt*, Quoniam ab ipſo eſt patientia mea? *Poſtremo cujus opus eſt Cyprianus in omnibus victor, niſi ejus, de quo dictum eſt*. In omnibus ſupervincimus per eum, qui dilexit nos. *Non ergo recedimus a laudibus Dei, quando laudamus opera Dei in Milite Dei.*

[Margin: Pſalm. 79. Pſalm. 118. Jerem. 3. Luc. 21. Jerem. 17. Pſalm. 61. Rom. 8.]

[Margin: Angelicæ Salutationis explicatio. Deo gratias agimus ob ſingularia, & uberrima dona B. Virgini collata: quæ eidem Virgini Deiparæ gratulamur. S. Epiph. Orat. de Laud. Deiparæ. Summa laudum SS. V. Mariæ.]

III. Ad gratiarum actionem pertinet prima pars Angelicæ Salutationis, cum ea ad precandum utimur; *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum; Benedicta tu in mulieribus, &c.* Nam Deum ſummis laudibus celebramus, ipſique gratias agimus, quod cœleſtium bonorum affluentia Sanctiſſimam Virginem ornaverit, & cumulaverit; eidemque Beatiſſimæ Virgini ſingularem illam felicitatem gratulamur.

Ave, Tibi gratulamur, Virgo Sanctiſſima, quod humilitate tua, & obedientia primæ matris Evæ ſuperbiam, & inobedientiam expunxeris, pariendo Redemptorem; *Ave, gratia plena, virtutibus multis exornata, Arca gloria ſpiritualis, urna aurea continens Manna cæleſte, Mare ſpiritale, gemmam cæleſtem Chriſtum habens; ſplendidum cælum, quæ incomprehenſum in cælis contines Deum; Porta cælorum*, de qua Propheta dixit: *Ecce porta clauſa, & nullus ingredietur per eam ∴ Ave, caſtitatis florentiſſime Paradiſe, in quo lignum vitæ plantatum, fructus ſalutis univerſis producit: ex quo Evangeliorum, quaterno initio fons, miſerationum flumina credentibus deduxit. Ave, Dei, & hominum Mediatrix ... Ave fons lucis omnem hominem illuminantis, vitæ theſaurus; radix omnium bonorum, puteus aquæ ſemper vivæ; Rubus igne ſpiritali ardens, qua tamen nuſquam combureris? Mons, ex quo Lapis angularis ſine manibus aſciſſus ∴ Ave magnificum divinæ gloriæ templum. Ave, thalame, in quo Chriſtus humanam ſibi naturam deſponſavit. Ave, Deo electa antequam naſcereris. Ave divina cum hominibus reconciliatio. Ave, cælum cælo altius. Ave, Dei, qui nuſquam capi poſſit, ac poſſit in te ſola, bene capax locus. Ave, indefectibilis gaudii parens. Ave, Seraphica forceps carbonis Myſtici. Ave, dioptra perſpectiva; qua ii, qui in triſti peccatorum umbra tenebris obſiti eſſent, venientem de cælo, cum gloria exortum Juſtitiæ Solem ſuſcipientes, mirabiliter illuſtrati ſunt. Ave, Prophetarum omnium, Patriarcharumque gloriatio ... Ave, divinum, ac vivum ſimulacrum, ad quod opifex Deus inventus eſt: Chriſtianorum ſpes, firma ſalutis arrha, Angelorum Domina, rerum omnium conditarum herea ... Ave, Regina mundi, Feneſtra cæli, Janua paradiſi, Tabernaculum Dei, Stella maris, Scala cæleſtis, per quam ſupernus Rex ad ima deſcendit, & homo, qui proſtratus jacebat, ad ſuperna exaltatus aſcendit.* Legimus in Actibus Apoſtolorum & Stephanum plenum gratia, & Apoſtolos fuiſſe repletos Spiritu Sancto, ſed longe diſſimiliter a Maria. *Nec enim in illo habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria; Nec illi conceperunt de Spiritu Sancto, quomodo Maria.* Quæ fonti gratiæ, ſcilicet Chriſto, præ ceteris Sanctis proxima fuit; & ad munus, atque dignitatem longe majorem electa, uberiori certe gratia donata eſt. *Ceteris electis ex parte gratia datur; huic Virgini tota ſe infudit gratiæ plenitudo.* In Chriſto plenitudo fuit redundantiæ. *Plenus* ſcilicet *gratia, & veritate* eſt, & *De ejus plenitudine omnes accepimus.* In Apoſtolis, & Stephano Protomartyre, aliiſque Sanctis, plenitudo fuit ſufficientiæ; tantam ſcilicet gratiam acceperunt, quanta opus erat ad Miniſterium Apoſtolatus obeundum, ad patiendum pro Chriſto, ad ea digne exequenda, ad quæ vocati erant. In Sanctiſſima Virgine plenitudo fuit abundantiæ; quia gratiæ concepit Auctorem. *Inveniſti gratiam apud Deum*, inquit, Angelus. Gratiam non habuiſti ut Deus; non reſpuiſti ut Angelus; non amiſiſti ut primus parens; non emiſti ut Simon Magus; non abſcondiſti ut ſervus nequam; ſed inveniſti, Dei conferentis bonitate, ſalvantis miſeratione, hominis neceſſitate.

[Margin: S. Baſil. Seleuc. Orat. in Annunt. Chryſipus in Serm. de Laud. B. V. S. Andreas Hieroſol. in ſer. de Salut. Angel. S. Joann Damaſc. in Orat. de Nativ. & Dormit. Deipar. & Lib. 4. De Fide orthodoxa c. 15. S. Ber. Hom. 3. in Ev. Miſſus eſt. S. Hildefonſus, ſer. 6. De Aſſumpt S. Mariæ. Joan. 5.]

[Margin: B. Albert. Magnus in Evangel. Miſſus eſt.]

Dominus tecum. Qui ubique æqualiter totus eſt per ſuam ſimplicem ſubſtantiam, qui in rationalibus creaturis eſt per cognitionem, in ſolis bonis per amorem; & ita in ipſis, ut ſit etiam cum ipſis propter concordiam voluntatis; ſingulari, & excellentiori quadam ratione eſt in *Maria*: Cum qua utique tanta ei conſenſio fuit, ut illius non ſolum voluntatem, ſed etiam carnem ſibi conjungeret, ac de ſua, Virginiſque ſubſtantia, unum Chriſtum efficeret, vel potius unus Chriſtus fierent: qui etſi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet, nec duo filii, ſed unus utriuſque filius. Dominus tecum: *Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis: ſed Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipis: & Dominus Pater, qui genuit, quem concipis. Pater tecum, qui Filium ſuum facit, & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo & ſibi reſerat genitale ſecretum, & tibi ſervat virginale ſignaculum. Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre, & Filio tuum ſanctificat uterum.*

[Margin: S. Ber. Hom. 3. in Evang. Miſſus eſt.]

Benedicta tu in Mulieribus; quæ generalem illam maledictionem evaſiſti, qua dictum eſt: *In dolore paries filios*; & nihilominus illam *Maledicta ſterilis in Iſrael*: ac ſingularem conſecuta es benedictionem, ut nec ſterilis maneas, nec cum dolore parturias. *Paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*. Altiſſimi Filius erit & tuus. Ea eſt dignitas tua, qua major ſub Deo intelligi non poteſt. *Sic & quod natum eſt ex ipſo Patre, erit tuus: & quod naſcetur ex te erit ejus; ut tamen non ſint duo filii, ſed unus. Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Utitur obumbrandi verbo, quia res in Sacramento erat: *Et quod ſola per ſe Trinitas in ſola, & cum ſola Virgine voluit operari, ſoli datum eſt, noſſe, cui ſoli datum eſt experiri.* Benedicta tu inter mulieres, quæ benedictum præ filiis hominum caſtis viſceribus concepiſti, & immaculato partu edidiſti cum gaudio. *Beatus venter* tuus, qui portavit eum, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ. *Beata ubera*, quæ ſuxit Ille, qui omnibus dat eſcam in tempore opportuno. *Benedicta tu* præ *Sara*, *Rebecca*, *Rachele*, *Anna* Samuelis matre, & *Eliſabeth* cognata tua, quæ ſterilitatis opprobrio liberatæ filios conceperunt peccatores, quamvis Dei miſericordia Sanctos futuros: quod vero ex te natum eſt, Virgine perpetua, *Sanctum* vocatum eſt *Filius Dei*, & *Sanctus Sanctorum*; Benedicta tu præ *Maria* ſorore Moyſis, quæ Populum de Ægypto cum fratribus ſuis eduxit per Mare rubrum; præ *Debora* Prophetide, & *Jabele*, uxore Haber, quæ Populum occiſo *Siſara* liberaverunt; præ ſapiente Muliere *de Abela*, quæ ſeditioſo *Seba* obtruncato, Civitatem ab excidio ſervavit; præ pulcherrima *Heſter*, quæ Judaicam Gentem a generali internecione eripuit, ſuperbo, & crudeli *Aman* furca damnato; præ generoſa *Judith*, quæ abſciſſo capite Holofernis, inſignem victoriam populo ſuo, diuque duraturam pacem peperit. Tu enim, Virgo Sanctiſſima, Serpentis antiqui caput per Filium tuum contriviſti, neque uni duntaxat Genti, ſed omni generi humano peperiſti Salvatorem, ac Mediatorem, qui a Diaboli ſervitute nos omnes eriperet, noſque Deo reconciliaret. Benedicta tu præ *Abigail* prudentiſſima illa muliere, quæ iram *Davidis* Regis placavit, ne ſtulti *Nabal* domum deleret: præ muliere *Thecuite*, quæ induſtria ſua, figuraque ſermonis *Abſalom* in Jeruſalem reduxit: Deum enim nobis placaſti, & placare non ceſſas, nos exules filios Evæ ad cæleſtem Jeruſalem prece potentiſſima reducis. Benedicta tu præ mulieribus omnibus conjugatis, quæ Virgo in partu, & poſt partum permanſiſti; præ Virginibus, quæ matris gaudium cum honore virginitatis habuiſti, & ſanctæ virginitatis vexillum extuliſti, vere Virginum Regina. Benedicta ob fidem, qua Archangeli Gabrielis verbis credidiſti. Benedicta ob caritatem, qua Deum dilexiſti, qua proximum proſecuta es, iter difficile per Montana Judææ ſuſcipiens, ut officium, & miniſterium Eliſabethæ cognatæ tuæ impenderes, ut Joannis Baptiſtæ ſanctificationem in utero per Chriſtum in tuis viſceribus incluſum procurares. Benedicta ob humilitatem, qua Mater Dei electa, & ab Angelo ſalutata, *Ancillam Domini* te profeſſa es. Benedicta ob invictam animi fortitudinem, qua paupertatis incommoda, itinerum difficultates, Simeonis animam tuam doloris gladio transfixum iri prænunciantis triſte Vaticinium, Filii dilectiſſimi Paſſionem, tormenta, vulnera, mortem, lateris confoſſionem, Judæorum inſultus corde compatiente pertuliſti, ſtans juxta Crucem ejus. Benedicta tu ob innocentiam, quæ ab omni omnino peccati labe pura ſervata es, ut verius dicere poſſis quam Judith: *Non permiſit me Dominus Ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea, & in liberatione veſtra. Confitemini illi omnes, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Deſideriis tuis paremus, Virgo Sanctiſſima, confitemur Domino, ipſum adoramus, gratias illi agimus, quod tot gratiæ ſuæ donis te cumulaverit, quod te in Matrem Dei filius elegerit, & ex te naſci pro nobis dignatus ſit; quod nobis etiam te Matrem dederit ut Joanni, caritate, miſeratione; quod te noſtræ ſalutis hoſtibus terribilem fecerit, ut caſtrorum aciem ordinatam. *Benedicta tu a Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram. Benedictus Dominus, qui te direxit in vulnera capitis Principis inimicorum noſtrorum: quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum ... Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia Populi noſtri .... Manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum. Fiat, fiat.*

[Margin: Gen. 3. — Exod. 15. Deuter. 7. S. Ber. Hom. in Evang. Miſſus eſt. — Exod. 15. — Judic. 4. — 2. Reg. 20. Eſther 8. Judith. 14. — 1. Reg. 15. 2. Reg. 14. — Judith 13. — Judic. 15.]

[Margin: B. Ber. Hom. 3. in Evang. Miſſus eſt.]

Addimus cum S. Eliſabeth: Et Benedictus fructus ventris tui. Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui: ſed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Vere etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ ſunt omnes gentes: de cujus plenitudine tu quoque accepiſti cum ceteris, etſi differentius a ceteris. Ac propterea benedicta tu, ſed in mulieribus; ille vero benedictus non in hominibus, non inter Angelos, ſed *Qui eſt* (ut ait Apoſtolus) *ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*. Benedicti illius fructus proprium nomen S. Eliſabethæ verbis addidit Eccleſia, Jeſus, ut illum benedictionum omnium, ſive gratiarum Sanctiſſimæ Virginis Mariæ auctorem eſſe ſignificaret, qui non ſolum ejus Filius, ſed & ipſius, omniumque hominum Salvator eſt, in quo Pater Æternus *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus*. Nec mirum (inquit S. Ambroſius) *Si Dominus redempturus Mundum, operationem ſuam inchoavit a Maria; ut per quem ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore*. Mariæ redemptor Chriſtus, quia prohibuit ne peccatum incurreret, vel committeret.

[Margin: Rom. 9. 3. — Epheſ. 1. S. Amb. Lib. 2. in Lucam.]

[Margin: Gratiarum actioni jure optimo addit Eccleſia preces, & invocationem ejuſdem Virginis Deiparæ.]

IV. Jure autem optimo Eccleſia huic gratiarum actioni preces etiam, & implorationem Sanctiſſimæ Dei Matris adjunxit, qua pie, atque ſuppliciter ad eam confugeremus, ut nobis peccatoribus ſua interceſſione Deum conciliaret, auxiliaque tum ad hanc, tum ad æternam vitam, nunc, & in hora mortis noſtræ, nobis impetraret, Matrem igitur Miſericordiæ, refugium peccatorum, Mediatricem, & Advocatam noſtram Eccleſiæ verbis oremus; nec dubitemus nos facilius impetraturos, quod per illam a Deo petierimus, apud quem plus omnibus Sanctis poteſt. Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, imploremus: *Quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* In omnibus ſiquidem, & per omnia providens miſeris, trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat. Ad Patrem verebaris accedere, ſolo auditu territus, ad filium fugiebas: Jeſum tibi dedit Mediatorem. Exaudietur utique pro reverentia ſua. An vero trepidas & ad ipſum? Frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per omnia abſque peccato, ut miſericors fieret: Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo majeſtatem vereare divinam? Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro ſua reverentia. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. *Hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim, poteſtne Filius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? non audire, aut non audiri Filius poteſt?* Filio oſtendit Patri latus, & vulnera; Mater oſtendit Filio pectus, & ubera: quid tam potens Mediatrix non obtineat: cui dictum eſt ab Angelo, *Inveniſti gratiam apud Deum*? Semper hæc invenit gratiam, & ſola eſt gratia, qua egemus. Prudens Virgo non ſapientiam, ſicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, ſed gratiam requirebat. Nimirum ſola eſt gratia, qua ſalvamur. Quid nos alia concupiſcimus? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit, invenit, & fruſtrari non poteſt. Quæramus gratiam, ſed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Sit pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipſam, quam apud Deum gratiam inveniſti, notam facere Mundo; reis veniam, medelam ægris, puſillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem ſanctis tuis precibus obtinendo. *Memento ſervorum tuorum Chriſtianorum, cunctorum commenda preces, univerſorum ſtatue ſpem, fidem confirma, Eccleſias ad unitatem coge, imperium trophæis auge, Exercitui auxiliare, Mundum pace compone, cunctos a periculis, & tentationibus liberans, unicuique a damnationis reatu ſolutam præſtari extremæ retributionis diem. Ad quem enim alium ibimus? Verba vitæ æternæ habes, tua nimirum ad Deum pro nobis commendationis vota. Tu enim es, quæ feceris ſemper, nec unquam ceſſes facere nobiſcum magnalia. Et ſanctum eſt nomen tuum, quod ab Angelis, & hominibus in omnem generationem beatam prædicatur.*

[Margin: S. Bernard. Ser. in Nat. B. Mariæ. — Idem Ser. 5. in Aſſumpt. B. Virgin. — S. Germ. Conſtantin. Epiſcopus.]

ARTICULUS IX.

Qua ratione ſit orandum: Sive quæ conditiones Orationis.

[Margin: Orandum in ſpiritu, & veritate.]

I. CUm ea, quæ a Deo in oratione petimus, ſæpe non aſſequamur, eo quod male petimus, operæ pretium eſt explicare paucis, quæ ſit optima ratio orandi. Eſt igitur orandum in ſpiritu, & veritate, quia *Deus ſpiritus*, & veros *Adoratores in ſpiritu, & veritate adorare oportet*; id eſt, ex intimo, & ferventi animi ſtudio, & flagranti Dei deſiderio, quo fides, ſpes, & caritas ſemper orant, (ut loquitur *S. Auguſt.* Epiſtol. 130.) Hæc orandi ratio propria eſt Chriſtianorum hominum, quibus Chriſtus illam præſcripſit, Patrem tales querere docens, qui adorent eum. In veritate, hoc eſt, abſque omni fuco orare oportet: in ſpiritu, id eſt, non voce ſolum, ſed interiori præſertim animi affectu. *Cum oratis*, inquit Chriſtus, *non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ad hominibus: Amen dico vobis, Receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, ſicut Ethnici. Putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis. Scit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum.* Quæ ſunt iſta cubicula, in quæ Chriſtus nos intrare jubet oraturos, niſi ipſa corda, de quibus Pſalmo 4. dicunt: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini?* Parum eſt intrare in cubicula, ſi oſtium pateat importunis, per quod oſtium ea, quæ foris ſunt, improbe ſe ingerunt, & interiora noſtra appetunt. *Foris autem ſunt omnia temporalia, & viſibilia, quæ per oſtium, id eſt, per carnalem ſenſum in cogitationes noſtras penetrant, & turba vanorum phantaſmatum orantibus obſtrepunt. Claudendum eſt ergo oſtium, id eſt, carnali ſenſui reſiſtendum eſt, ut oratio ſpiritalis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis, ubi oratur Pater in abſcondito.* Et ut Chriſtus nobis hanc orandi rationem magis explicet, duos pravos affectus pari cenſura damnat: alterum, qui Judæorum eſt; alterum Ethnicorum. Judæi, præſertimque inter illos Phariſæi hypocritæ, ſpectandos ſe præbebant in oratione, & hunc potiſſimum fructum orationis quærebant hominibus placere. Ethnici exercendæ linguæ potius, quam mundando animo dant operam: & hoc nugatorii ſtudii genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur, exiſtimantes Deum perinde ac hominem Judicem, multis verbis, & oratione ſtudioſe compoſita adduci poſſe, in quam voluerimus ſententiam. *Nolite ergo aſſimilari eis* (inquit Diſciplinæ cœleſtis Magiſter.) Si enim verba multa ad id proferuntur, ut doceatur ignarus, quid illi opus eſt ad eum orandum, qui corda novit? Non ergo ambitione precum nos exaudit Deus, non verba, ſed cor attendit. Quamobrem non verborum apparatu agere debemus apud Deum, ut impetremus, quod volumus, *Sed rebus, quas animo gerimus & intentione cogitationis, cum dilectione pura, & ſimplici, affectu*. Sic explicat *S. Auguſtinus* Lib. 2. *De Sermone Domini in Monte*, Cap. 3. Itaque, cum Chriſtus multiloquium in oratione damnat, multum ſermonem, abſque interiori animi affectu, & devotione profuſum, inane eſſe apud Deum ſignificat, non autem diuturnas preces pie, & ex intimo animi affectu factas. *Cum diu orare vacat, id eſt, cum alia bonarum, & neceſſariarum actionum non impediuntur officia*, tantum abeſt ne inutile ſit, ut ſit etiam ſaluberrimum; neque enim hoc eſt orare in multiloquio, ſi diutius oretur. *Aliud eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipſo Domino ſcriptum eſt, quod pernoctaverit in orando, & quod prolixius oraverit; ubi quid aliud quam nobis præbebat exemplum in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? ... Abſit ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi fervens perſeverat intentio. Nam multum loqui, eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multum autem precari, eſt ad eum, quem precamur, diuturna, & pia cordis exercitatione pulſare. Nam plerunque hoc negotium plus gemitibus, quam ſermonibus agitur, plus fletu, quam afflatu. Ponit autem lacrymas noſtras in conſpectu ſuo, & gemitus noſter non eſt abſconditus ab eo, qui omnia per Verbum condidit, & humana non quærit* (inquit *Sanct. Auguſtin.* Epiſt. 130. alias 121. Cap. 10.)

[Margin: Joan. 4. — Matth. 6.]

[Margin: Humilitas Orationis.]

II. Altera conditio ad recte orandum neceſſaria eſt humilitas ſupplicantis, qua non ſolum Dei magnitudinem adoret, ſeque coram ejus divina Majeſtate deprimat, & abjiciat, dicens; *Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis, & cinis*: Sed qua ſe reliquis hominibus longe indigniorem peccatorem exiſtimet. Unde *Iſa.* 66. Dominus ait: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Et Eccleſiaſtici 35. ſcriptum eſt: *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit*. Odit Deus pauperem ſuperbum. *Omnes porro quando oramus, mendici Dei ſumus. Ante januam magni Patris-familias ſtamus, immo etiam proſternimus,*

[Margin: Gen. 18.]